M

X a 2

DISSERTATIO

DE

AVCTORITATE PATRIARCHALI

ET METROPOLITICA

ADVERSVS EA, QVÆ SCRIPSIT

EDVARDVS STILLINGFLEET

DECANVS LONDINENSIS

IN LIBRO

DE ORIGINIBVS BRITANNICIS

PER

EMAN. A SCHELSTRATE

S. T. D. C. L.

ET BIBLIOTHECÆ VATICANÆ PRÆFECTVM.

ROMÆ. Typis, & ſumptibus Dominici Antonij Herculis. 1687.

SVPERIORVM PERMISSV.



IACOBO II.

M. BRITANNIÆ &c. REGI

FIDEI DEFENSORI

VICTORI. TRIVMPHATORI. PACIFICO.

FELICI fauſtoque Catholicæ Fidei ſucceſſu à ſupremo illo Regum Moderatore, Mũdique Rectore Immortali Deo factum eſt, vt his tem-

temporibus, quibus Christianorũ Principum ope Hungariæ, & Græciæ Regna Ecclesiæ restituuntur, MAIESTAS TVA Britanniarum thronum conscenderet, & inclytam Anglorum Gentem ad amplectendam veram Religionem exẽplo Regio inuitaret. Non humano, sed Diuinæ Sapientiæ consilio Reges regnant, & sicut in Prouerbijs legitur, Conditores Legum iusta decernunt. Quæ cum de omnibus huius Mundi Principibus dicta sint, non possunt non intelligi de MAIESTATE TVA, quæ in gubernando Orbe Britannico iusta decernens adeò feliciter

Prouerbiorum cap. 8.

re-

regnat, vt omnium ſubditorum animos in amorem, omnium exterorum oculos in admirationem rapuiſſe videatur. Antiquorum effatum eſt, & ipſius Sapientiæ velut Oraculum, in amore Ciuium ſummum eſſe Regum præſidium. Vndè Plinius Secundus in Panegyrico, quem Traiano dixit, Domum Regiam nullibi tutius, aut ſecurius aſſeruari credidit, quam vbi Amoris excubijs defenditur : & Themiſtius celebris Græcorum Orator præclarè admonuit, longè præſtare, Amore ac Gratia ſubditos allicere, quam metu ac terrore dominari. Amore coniunguntur animi,

Plinius in panegyrico Traian.

Themiſtius orat. 7.

mi, consentiuntque in vnum: consensione autem coalescunt Imperia, sicut dissensione collabuntur. Quæ cum probè agnouisset MAIESTAS TVA, dissensionem, quæ in suscepti Regni primordijs toti Britanniæ perniciem minabatur, celeriter sustulit, & conspirationis Auctoribus internecione deletis, Victor, ac Triumphator cæterorum animos amoris dulcedine aut omninò placauit, aut penitus continuit. Præclarè naturam hominum assecutus intellexisti, frustrà quemquam se terrore accingere, qui septus charitate non fuerit. Subditis igitur terrore ac metu liberatis,

lætiſsima facie & amabili vultu Ciuium tibi animos conciliaſti, qui ſe ſalutem publicam MAIESTATI TVAE debere eò libentiùs fatentur, quo cæteræ Nationes id magis ſuſpiciunt, ac admirantur. O te felicem Principem, qui dum beneuolentia Ciues amplecteris, apud Domeſticos venerationem, apud Exteros laudem, apud Deum ipſum tibi aditum ad felicis vitæ æternitatem comparas. Non agam hic de humanitate, qua cunctos ſuſcipis: de Clementia, qua Te exorari ſinis: de benignitate, qua egenis miſeriſque ſuccurris: de labore, quo Regni tui curam geris:

de constantia, qua cuncta etiam difficillima subire non metuis. Hæc enim, & multa alia virtutum dona, quibus Regium animum tuum Cęleste Numen ornauit, hic laudibus extolli possent: sed cum alterius operis hoc negotium sit, quam quod breuissimis huius epistolæ angustijs posit comprehendi, hoc vnum rogabo, vt MAIESTATIS TVAE immemor, Tenuitatis meæ memor, præsens Opusculum, quod de Hierarchia Ecclesiastica contra Scriptorem Anglum edidi, benigno animo suscipere, & Maximi Nominis Tui patrocinio tutari digneris. Nec est, quod
quis-

quiſquam MAIESTATEM TVAM inducat, vt credat, me in nomine Regio nouitatis præſidium quærere: non erroris recens excogitati, ſed veritatis antiquitus cognitæ hoc Opuſculo defenſionem ſuſcipio. De Patriarchatu Romano ago, quem Reges Catholici Prædeceſſores tui per mille trecentos annos agnouerunt, & poſt ſchiſma Iacobus celebris memoriæ Princeps Auus tuus non obſcurè aſſeruit. In illis enim litteris, quas pro Iuramento fidelitatis ad Rudolphum Cæſarem, ad Chriſtiani Orbis Monarchas, ad Catholicos, & Proteſtantes Prin-

Iacobus Angliæ Rex in apologia pro iuramẽto fidelitatis.

cipes misit : Scio, inquit, Patriarchas in Ecclesia primitiua extitisse, & institutionem illam ordinis, & discriminis causa amplexor : sed & inter illos de Principatu magna contentione certatum est : quod si in eo quæstio adhuc verteretur, meo libens suffragio primum locum Episcopo Romano deferrem : Ego Occidentalis Rex Occidentali Patriarchæ adhærerem. Quæ de Patriarchatu Romano Iacobus eiusdem tecum nominis primus hoc loco asserit, Ego hac Dissertatione clarius explico, & Romani Patriarchatus iura in totum Occi-

ci-

cidentem extendi, veterum testimonijs, ac Synodorum Decretis comprobo; vt ijsdem fermè verbis vti possim; quibus Honorius Theodosium Imperatorem ad seruanda priuilegia iam dudum Romanæ Sedi contributa adhortatus est, vt sub Principe Catholico Romana non perdat Ecclesia, quod aliis Regibus etiam in Schisma prolapsis amittere non debuit. Patere igitur, CLEMENTISSIME PRINCEPS, vt sub auspiciis tuis in lucem prodeat præsens Opusculum, in quo id vnum enitor, ne totius Occidentis speciale,

Honorius epist. ad Theod.

& totius Orbis præcipuum Caput Romana Ecclesia turbetur, quod indè in omnem Hesperiam, sicut in omnem Orbem commonitionis Iura dimanent. Dabat Romæ.

Epist. Synodica Conc Aquileiensis.

MAIESTATIS TVAE

Humillimus, ac Obsequentissimus Seruus

Emanuel de Belgio Antuerpiensis.

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

NESCIO, *qua sorte mea factum dicam*, LECTOR BENEVOLE, *vt intra vnius anni spatium mihi cum aduersarijs vernaculo suo Idiomate scribentibus hæc secunda futura sit concertatio. Initio huius anni egi cum Maimbourgo, qui de Suprema Romani Pontificis in vniuersam Ecclesiam auctoritate Opusculum Gallicè edidit. Nunc anno ad finem vergente agendum mihi est cum Decano Londinensi, qui de Patriarchali Romani Episcopi in totum Occidentem potestate quæstionem Anglico Idiomate instituit. Prioris Opusculum licet Gallicè edi non debuerit, mihi Idioma callenti nullam difficultatem attulit; secundum verò Anglicè editum, licet Idioma in quibusdam cum Belgico conueniat, me tamen adeò perplexum reddidit, vt ad illud intelligendum alterius opera vti mihi necesse fuerit. Quod igitur proprio Marte non potui, Eruditi Angli ope intellexi, translatisque ab eo in latinum sermonem præcipuis locis ad auctoritatem Patriarchalem Romani Pontificis pertinentibus, constitit, Auctorem non solum me, sed & alios Catholicos, qui nostra vel parentum nostrorum ætate ea de re tractarunt, calamum*

mum strinxisse. Confutandos itaque sibi suscepit ex Italia quidem Annalium Parentem Baronium, & qui ibidem scripsit, Lucam Holstenium: ex Gallia Cardinalem Perronium, Petrum de Marca, Ioannem Morinum, Iacobum Sirmondum, & Ioannem Garnerium: ex Belgio demum Christianum Lupum, & me omnium minimum. Ex his illi, qui Anglicum Idioma ignorarunt, si adhuc viuerent, mecum, vt puto, ab Auctore desiderarent, vt si inposterum de rebus Ecclesiasticis agere vellet, vel ab impugnandis nostris scriptis abstineret, vel ea lingua, qua intelligi posset, animi sui sensus exprimeret. Cæterum cum ex præfatis omnibus Ego solus supersim, & liber Auctoris nostri ex Anglia ad me transmissus, ac vt breuiter refutaretur, a Nobili Viro perlatus sit, necessarium duxi, nonnulla huius Auctoris placita ad trutinam reuocare. Non agam hic de omnibus, quæ ipse obijcienda putauit: Cum enim scripserit contra ea, quæ in Antiquitate Illustrata de Patriarchali Romani Pontificis in Occidentem potestate ex Veterum testimonijs tradideram, quæcumque ab ipso improbantur, tunc refellam, cum Antiquitatem tribus vel quatuor sæculis auctiorem edam. Huic quidem labori iam sedulò à pluribus mensibus manum admoueram, cum liber Auctoris nostri me ab incepto opere reuocauit, & ad eiusdem confutationem coegit. Examen itaque iam inceperam, nullam omninò quæstionem cum Catholicis Scriptoribus me hac de re habiturum existimans, cum ecce ad manus meas peruenit alter

liber

liber de Disciplina Ecclesiæ in Dissertationes septem distributus, quarum ordine prima agitur de forma & distributione Ecclesiarum, *& §. 6. quæritur, an Metropolitica auctoritas, aut Patriarchica dignitas fuerit à Christo vel Apostolis instituta? Patriarchalem dignitatem ex Apostolico Instituto ortam esse, ostenderat præclarum Galliæ lumen Cardinalis Perronius, idemque de Metropolitica auctoritate in opere suo de concordia Sacerdotij & Imperij contra Nouatores nostri sæculi asseruerat Petrus de Marca Parisiensis Archiepiscopus. Neutram ab Apostolis promanare, nuperus Auctor Gallus contendit, & quod in hunc vsque diem nemo Catholicorum ausus fuit, ad Hæreticorum & Schismaticorum argumenta confugit, vt probaret vtramque auctoritatem recentiori consuetudine inductam, ac Patriarchalem inprimis dignitatem aliorum iurium inuasione auctam, & Synodicis quarti ac quinti sæculi decretis stabilitam fuisse. Hæc est hominis istius sententia, cui cum repugnent non modo præsentis Ecclesiæ statuta, sed etiam veteris monimenta, non erubuit Auctor ille Conciliorum sanctiones, quæ instituto suo non fauent, in peruersum sensum detorquere, Antiquorum Pontificum scripta, quæ sibi non arrident, ludibrio exponere, præclara Patrum testimonia, quæ opinionem suam euertunt, cauillatione eludere, præsentis demum Ecclesiæ vsum, quia placitis suis aduersatur, nouitatis arguere.*

Nuperus Auctor Gallus.

Card. Perronius in responso ad Iacobum Angliæ Regem cap. 30. fol. 171. & seq.

De Marca lib. 1. de concordia Sacerdotij & Imperij, cap. 3. §. 7. & seq.

Ediderat Anno 1662. *Ioannes Launoius Parisiensis Theologus opusculum, quod* de recta intelligentia

ſexti Canonis Nicæni *inſcripſit, in quo poſt diſceptationes Sirmondi, aliorumque Catholicorum contra Salmaſium, eiuſque ſequaces Hæreticos duo potiſſimum profert, quæ ad rectum ſexti Canonis Nicæni ſenſum inueſtigandum quam maximè facere putabat. Alterum fuit, hic non agi de Patriarchis, eorumque iuribus: alterum verò, ſolummodò tractari de Metropolitanis, eorumque iure, quod habent in Epiſcoporum ordinationibus. Plura hanc in rem congeſſit argumenta, idque ſalua, vt ibidem præfatur, Sedis Apoſtolicæ auctoritate, quam Hæretici per Nicænum Canonem impetebant. Cæterum nactus fuit in Gallijs aduerſarium Henricum Valeſium, qui ex veterum teſtimonijs, ex Synodorum Decretis, & ex Patrum ſcriptis oſtendit, Canonem ſextum Nicænum de Patriarchis intelligendum eſſe, & de ſolis Metropolitis nequaquam explicari poſſe, vt Romani Epiſcopi Patriarchalis poteſtas ex recta eius intelligentia non parum dependeat. Diſplicuit hæc Valeſij Viri Doctiſſimi Diſputatio Ioanni Launoio, qui anno* 1671. *Diſſertationis ſuæ propugnationem edidit, in qua ita Patriarchas tempore Concilij Nicæni fuiſſe admittit, vt eos, inuitus licet, non obſcurè tamen inſigniores Metropolitas fuiſſe indicarit. Agit de hoc Launoij libello Hadrianus Valeſius in vita Henrici fratris ſui, quam nuper inter vitas Selectorum Virorum Londini edidit Guilielmus Bateſius, teſtaturque, launoium* vtcumque cauillando reſpondiſſe, quam defenſionem, *Inquit*, Valeſius ſibi legi noluit, affirmans conſum-

Henricus Valeſius Differt. de Canone 6. Nicæno tom. 3. Hiſt. Eccleſ. poſt Socratem & Zoſomenum.

Hadrianus Valeſius.

ſumptam eſſe materiam, & perſuaſiſſimum habens, ſua ſcripta ab Launoio nulla ratione refelli poſſe, atque conuelli. *Contempſit itaque Launoij propugnationem Henricus Valeſius, eamque cauillationis inſtar habuit. Non contempſit tamen Guilelmus Beueregius Scriptor Anglus, qui anno ſequenti tomo 2. Pandectarum in Annotationibus ad Canonem ſextum Nicænum Launoij partes tueri, & Valeſij argumentis ſatisfacere ſtuduit. Ratio præcipua, quæ Beueregium mouit, Schiſma Anglicanæ Eccleſiæ fuit, quod cum huc vſque omni ratione deſtitutum eſſet, in Launoij opinione fundari poſſe videbatur. Non agnoſcebat Anglia poteſtatem ſupra Metropolitanam, & quia hic error Canone ſexto Nicæno, quo trium Patriarcharum dignitas explicatur, facili negotio refutari poterat, Launoij placita defendenda ſuſcepit Beueregius, ſtatuitque, Patriarcharum Inſtitutionem Nicæno Concilio poſteriorem eſſe: ſic enim habebat Anglicana Eccleſia tribus primis ſæculis Hierarchiæ Eccleſiaſticæ exemplum, quo his nouiſſimis temporibus Schiſma ſuum tueretur.*

Viuebat adhuc Launoius, dum opus Beueregij in lucem prodijt, & cum Hæretici longè aliam, quam ſibi Launoius promiſerat, ex opinione ſua conſequentiam deducerent, rei indignitate, vt puto, commotus obticuit, nemoque in Gallijs poſthac repertus eſt, qui eius cauſam defendendam ſuſcepit. Hoc primùm tempore emerſit Auctor libri de Diſciplina Eccleſiæ,

qui

qui Dissertatione I. §. *vltimo causam quidem Valesij contra Launoium propugnare se dicit, reuerà tamen Valesij sententiam impugnat, & reijcit. Canonem sextum Nicænum de Suburbicarijs Ecclesijs intelligit, & Romani Patriarchatus terminos intra Vicariatus Vrbis limites coercet, verisimillimum esse affirmans, eas dumtaxat Regiones, quæ Vicario Vrbis parebant, fuisse Ecclesias Suburbicarias, in quas & nullas alias Episcopo Romano ius Patriarchicum competebat. Negat Germaniam & Hispaniam, negat Galliam & Britanniam, negat Africam & Illyricum, negat magnam Italiæ partem olim fuisse Iuris Patriarchici Romani, & quasi parum fuisset, potestatis Patriarchalis iugum excutere, ipsam auctoritatem Pontificiam conuellere nixus est, ac Primatum Petri ad meram Ordinis inter æquales dignitatem redigere tentauit.*

Pudet memoria repetere, quæ Auctor iste ex similibus Principijs deducit: De ijs, si operæ pretium duxerimus, alibi agemus. Verbo interim annotasse sufficiet, adeo absurda esse, & à vera Ecclesiæ doctrina aliena, vt de ijs factum sit, quod Iulius primus olim de Eusebianorum litteris contigisse retulit: Omnes admiratione plenos vix induci potuisse, vt crederent, istiusmodi scripta *ab homine, qui Catholicus videri cupit*, esse profecta. *Contendebant Eusebiani, totius Synodi Orientalis sententiam nequaquam à Romano Episcopo retractari posse: & cum errore illo Ecclesia offenderetur, scripsit Iulius Primus*: expedire

Iulius I. Epist. Synodica ad Orientales Antiochiæ congregatos.

dire secundum Ecclesiasticum verbum molam Asinariam suspendi à collo, atque ita demergi, quam vnum ex pusillis scandalizari. *Quid verò scriberet Magnus ille Pontifex, si nostris temporibus viueret, audiretque, non solum totius Orientis, sed vnius quoque Diœceseos Episcoporum, sed vnius Prouinciæ Synodi suprema esse iudicia, illaque* à nullo alio Iudice infirmari posse. *Quid scriberet, si non Orientalium tantum, sed Occidentalium quoque Episcoporum causas à iudicio Sedis Apostolicæ eximi debere intelligeret, audiretque, fictitiam esse eorum sententiam, qui auctoritatem Apostolicam tantum ad tempus cæteris Apostolis concessam fuisse dicunt, Petro autem, vt ad successores permanaret, fuisse tributam.* Fictitia est, *Inquit auctor ille, quia* nulla ratione, nullo testimonio scripturæ aut traditionis docemur, potestatem Apostolatus Petri ad eius successores permanasse, non autem potestatem cæterorum Apostolorum, cum ex æquo Ecclesiarum Apostolicarum Episcopi dicantur eorum Apostolorum, à quibus Ecclesiæ sunt fundatæ, successores, imò omnes Episcopi Apostolorum omnium successores esse perhibeantur. *Hæc sunt, quæ consequuntur ex hominis istius principijs, quæ si locum haberent, actum esset de sollicitudine Romani Episcopi, quam iubente Deo per totum terrarum Orbem gessit in omnes Catholicæ Communionis Ecclesias, & etiam num pro sedis suæ Primatu gerit, quantumuis contrariam mentem*

Dissert. 2. cap. 1. §. 2. pag. 97.

Ibid. §. 1. pag. 96. & seq.

quoad

quoad Ecclesias Galliæ Quesnellio nuperus Auctor affingat, supponens ex eius sententia: quod Romanus Episcopus non habet sollicitudinem Ecclesiarum Galliæ.

Diss. 1. pag. 79.

Nolim huic expostulationi diutius inhærere, antequam tamen præfationi finem imponam, duo obseruanda sunt, quorum primum lectorem beneuolum spectat, quem suspicari nollem, quod errores huius libri aut Sacræ facultati Parisiensi adscribendi, aut illustrissimo Galliæ Clero tribuendi sint. Licet enim Auctor se Doctorem Parisiensem vocet, & Natione Gallus sit, nequaquam tamen credibile est, opus istud aut Sacræ facultati Parisiensi, aut Illustrissimo Galliæ Clero placiturum. Quin potius credendum, omnes viros eruditione & pietate præstantes, qui inclitum Galliæ Regnum inhabitant, iudicaturos, opus illud indignum fuisse, quod publicam lucem aspiceret. Ita sentire me iubet auita Gallicanæ Ecclesiæ Religio, quæ numquam ab Apostolicæ Sedis obedientia separata fuit, & numquam, vt sæpius professa est, se auelli patietur. Non sine temeritate igitur quisquam ob huius operis editionem Illustrissimo Gallicanæ Ecclesiæ nomini notam inureret. Absit à viris eruditione conspicuis, absit à Doctoribus in Communione Sedis Apostolicæ enutritis, absit à Clero & Episcopis Catholicam fidem propugnantibus, quod eo tempore, quo in extirpanda vna hæresi desudant, alterius principijs assensum præbeant, & non recordentur illius, quod

Gal-

Gallicanæ Ecclesiæ nomine ante mille centum & sexaginta annos S. Auitus Viennensis Episcopus posterorum memoriæ consecrauit: Si Papa Vrbis vocatur in dubium, Episcopatus iam videbitur, non Episcopus vacillare. S. Auitus Vienen. Episcopus in epist. ad Faustum & Symmachum Senatores

Secundum Auctorem nostrum Anglum spectat, quem gloriari nollem, se apud Catholicos reperisse causæ suæ Patronum. Enimuerò cum ipse Anglicanæ Ecclesiæ Minister sit, & auctoritatem Metropolitanam agnoscat, necesse est, quod Auctorem Gallum æquè sibi ac nobis aduersari fateatur. Cum enim Auctor ille non solum Patriarchalem, sed Metropoliticam quoque auctoritatem ab Apostolis institutam fuisse neget, vt Decanus Londinensis Apostolico Instituto Anglicanæ Ecclesiæ Hierarchiam tueatur, non Patriarchas dumtaxat, sed & Metropolitanos ex illa eliminare deberet, primumque Ecclesiam constituere, quæ solis Episcopis ac inferiori Clero constaret. Et hæc quidem si sententiam nuperi scriptoris Galli admittendam ducat Auctor Anglus, cui tamen numquam subscribemus: placita enim illa, quibus videbimus Ecclesiarum Iura proculcari, receptas Synodorum sanctiones in peruersum sensum detorqueri, probata Veterum Pontificum scripta ludibrio exponi, veneranda antiquorum Patrum testimonia contemni, & solida πολιτείας Ecclesiasticæ fundamenta euerti, semper aduersabimur, & nunquam fundamenta diuisionis, aut Schismatis admittemus pro regulis Catholicæ

Religionis. Atque satis hactenus de Tractatu nuperi Scriptoris Galli; Iam tempus est, vt ad Errores Auctoris Angli veniamus, qui vt vnico intuitu à Lectore conspiciantur, hic subnectendi sunt, Veritatesque illis opposita adiungenda.

ERRORES,

QVI HAC DISSERTATIONE CONFVTANTVR, ET VERITATES OPPOSITÆ.

Errores.

1. Quod Petrus potius quam Paulus prædicauerit Euangelium in Britannia, leuibus nititur testimonijs, nimirum Simeonis Metaphrastis, legendorum, seu visionum Monachalium. *Cap.* 2. *pag.*45.

2. S. Paulum Britannis fidem annuntiasse, habetur ex testimonijs Clemẽtis Romani, Eusebij, Theodoreti, & D. Hieronymi, qui commentario in cap. 5. Amos Prophetæ ait, S. Paulum, postquam fuisset in Hispania, transiuisse ab vno ad alterum Oceanum, eiusdemque in prædicando diligentiam se extendisse vsque ad vl-

Veritates illis opposita.

1. *S. Petrum prædicasse Euangelium in Britannia, nititur testimonijs Eusebij, Innocentij primi, Gildæ Sapientis, Ioannis V., Kenulphi Merciorum Regis, & Metaphrastis.* Cap. 1. & 2. huius Dissertationis.

2. *Clementis, Eusebij, & Theodoreti testimonia vel nihil ad Pauli in Britannias aduentum pertinent, vel æquè de Petri ac Pauli aduentu intelligi possunt. D. Hieronymus in caput* 5. *Amos dicit, quod S. Paulus vocatus sit à Deo, vt de Hierosolymis vsque ad Hispanias tenderet,* & à Mari rubro, imò ab Oceano vsque ad Oceanum cur-

vltimum Terræ terminum. *Cap.1.pag.37.*

currerer, *quod non significat, ab Oceano Hispanico ad Oceanum Britannicum, sed ab Oceano Arabico, qui Mari rubro adiacet, vsque ad Oceanum, qui Hispaniæ oras alluit, Euangelium prædicasse.* Cap.1. num.4.

3. Sulpitius Seuerus, dum asserit, temporibus Marci Aurelij Antonini Martyria primum visa fuisse in Gallijs, Religione Christiana serius trans Alpes recepta, hæc narrat tamquam certus de primo, dubius de secundo. *Cap.2.pag.* 55.

3. *Sulpitius Seuerus habet lib.* 2. *Historiæ*: sub Aurelio Antonini filio persecutio quinta agitata: ac tum primum infra Gallias Martyria visa, serius trans Alpes Dei Religione suscepta. *Vtrumque eadem certitudine narrat, neque de secundo magis quam de primo dubitat.* Cap.1.num.6.

4. Lucius Britannorum Rex misit Legatos suos Romam tanquam ad locũ, quo, vt Ireneus argumentatur in simili casu, recurrebatur ex alijs partibus, quia erat Ciuitas Imperialis ita habet Auctor noster. *Capite secun-*

4. *D. Irenæus lib.3. cap.* 3. *dicit de Romana, non Vrbe Imperiali, sed Ecclesia Apostolica*: ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorẽ principalitatem necesse est, omnem cõuenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt vndique fide-

secundo pagina 69.

5. Concilium Arelatense in epistola Synodica ad Syluestrum Papam scripsit: *qui maiorem Diœcesim tenes*. Ità enim locus ille legendus est. *Cap.2.pag.* 53. & *Cap.3.pag.*130.

6. Dubium est, an Cõstantinus tempore Synodi Arelatensis distribuerat Imperium in Diœceses; & verosimilius est, nec id factum fuisse tempore Nicænæ, cum ibi sola mentio fiat Prouinciarum, non Diœceseon. *Cap.3.pag.*130.

7. Au-

fideles. *Vt ob Ecclesiæ principalitatẽ, & non ob aliud, Lucius Rex Legatos suos Romam ad Eleutherium Papam miserit.* Cap.1.num.9.

5. *Concilium Arelatense in epistola Synodica ad Syluestrum Papã à Pithœo primum, deindè à Sirmondo ex MSS. Gallicis Codicibus edita habet:* qui maiores Diœceses tenes, *& ità locus legendus est.* Cap. 4.

6. *Tempore Concilij Nicæni Constantinus in epistola ad omnes Ecclesias mentionem facit* Ponticæ, & Asianæ Diœceseon, *vt verosimile non sit, sed planè falsum, tempore Nicæni Concilij nullam mentionem factã fuisse Diœceseon. Etiam Synodi Arelatensis tempore maioris Diœcesis nomen notum erat ipso nostro Authore fatente, dum loco* maiores Diœceses, maiorem Diœcesim *legendũ affirmat.* Cap.4.

7. Au-

7. Auctoritas indicandi vbique Paschatis diem, quam Concilium Arelatense Canone primo Romano Episcopo detulit, adempta ei fuit per Concilium Nicænum; quod id negotij commisit Episcopo Alexandrino. *Cap.3.pag.84.*

7. *Auctoritas indicandi vbique Paschatis diem à Concilio Niceno non adempta fuit Romano Episcopo: onus computandi Pascha, Episcopo Alexandrino delatum fuit à Patribus Nicænis: auctoritas certum diem Ecclesijs proponendi Romano Pontifici relicta est.* Debebat diem Paschatis, *inquit Cyrillus Patriarcha Alexandrinus in Prologo ad suum Cyclum de Ecclesia Alexandrina, diem Paschatis* per singulos annos Romanæ Ecclesię litteris intimare, vnde Apostolica auctoritate Vniuersalis Ecclesia per totũ Orbem diffinitum Paschæ diem sine vlla disceptatione cognosceret. Quod cum per multa sæcula pariter custodissent &c. Cap.4.

8. Conciliũ Nicænum Canonibus quarto, & quinto supremam Synodorum Prouincialium auctoritatem sta-

8. *Concilium Nicænum Canonibus quarto, & quinto ne quidem de suprema Synodorum Prouincialium authori-*

stabiliuit, quam Canone sexto saluam voluit, nec aliam authoritatem supra Metropolitanam agnouit. *Cap.3. pag.100. & sequentibus*.

ritate somniauit, & Canone sexto Patriarchalem Romani, Alexandrini, & Antiocheni Episcoporum auctoritatẽ supra Metropolitanam agnouit. Cap.5.

9. Statuitur Canone sexto Nicæno, quod Episcopus Alexandrinus habeat potestatem super Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim, quia Episcopo Romano parilis mos erat. Parilitas autem in eo consistebat, quod sicut Romanus Patriarcha nullum Metropolitanũ sub se habebat, ita in tota Ægypto, Lybia, & Pentapoli nullus Metropolitanus præterquam Alexandrinus erat. *Cap.3.pag.104.*

9. *Ante Concilij Nicæni tempora non solum Patriarchæ Antiocheno, sed etiam Alexandrino Metropolitæ parebant. In Aegypto ante Nicænum D. Athanasius, & S. Epiphanius Meletium Archiepiscopũ fuisse tradunt, vt parilitas à Nicæno Concilio inter Alexandrinum, & Romanum Patriarchas in eo constituta non fuerit, quod Metropolitanis caruerint*. Cap.4.

10. Romani Episcopi Patriarchalis potestas Prouincijs Suburbicarijs, seù Vrbi vicinis circumscribebatur, primumque post datum à Synodo Generali 2. Con-

10. *Romani Episcopi Metropolitica auctoritas Prouincijs, quas Auctor vocat Suburcarias, cõtinebatur: Patriarchalis per maiores Occidentis Diæceses se extendebat: Illyri-*

Constantinopolitanæ Sedi secundum honoris locum, cæperunt Romani Episcopi Illyrici Prouincias vsurpare, ijs præficiendo Vicarium Thessalonicensem, ne ab Episcopo Constantinopolitano inuaderentur. *Cap.* 3. *pag.* 114. *& sequentibus.*

rici Prouincijs post Concilium Constantinopolitanũ primum à Damaso Thessalonicensis Archiepiscopus Sedis Patriarchalis Romanæ Vicarius præpositus fuit, ne ab Episcopo Constantinopolitano inuaderentur: ante Damasum Romana Sedes Ius Patriarchale per se aut Legatos exercẽdi habuit, vt patet ex Legatis ad primi sæculi finẽ à Clemente Primo Corinthum missis, vnde Honorius Imperator Romanæ Sedis priuilegiũ dudum à Patribus constitutũ, & Canonibus firmatum rogauit per Illyricum seruari, & Theodosius Imperator priscam Apostolicam Disciplinam, & antiquum ordinem, quo Romanus Episcopus super Illyricum constitutus erat, seruari iussit. Cap. 3.

11. Cum Perigenes in Episcopum electus à Patrensibus reiectus esset, & ab Episcopo Romano in Sedem

11. *Alius fuit Perigenes Corinthi in Achaiæ Prouincia Metropolita, alius Perreuius incertæ nobis Sedis in Thessalia*

dem Corinthicam sine consensu Synodi Prouincialis introductus fuisset. Episcopi Thessaliæ, quorum præcipui erant Paucianus, Cyriacus, & Calliopus, considerabant id tamquam notoriam inuasionem suorum Iurium, & proindè in Synodo Prouinciali alium collocauerunt in ea Sede. *Cap.* 3. *pag.* 116.

liæ Prouincia Episcopus. Paucianus, Cyriacus, & Calliopus Thessaliæ Prouinciæ Episcopi, nullum ius habebant in Perigenem alterius Prouinciæ Metropolitam, neque contra illum ipsos egisse Bonifacius Primus testatur, sed contra Perreuiū legitime ordinatum, qui ab ipsorum sententia Romam appellarat, & Romani Episcopi iudicio Sedi suæ restitutus fuit. Cap. 3.

12. Britannica Ecclesia sex primis sæculis non nouit auctoritatem supra Metropoliticam, vndè misso ad initium septimi sæculi Augustino Monacho, septem Episcopi Britanni, qui ibidem reperiebantur, & multi alij Viri eruditi ex Monasterio Banchorensi noluerunt subijci Sedi Apostolicæ, vel Augustinum agnoscere, sed sub Metropolitano

12. *Ecclesia Britannica sex primis sæculis agnouit auctoritatem supra Metropolitanam, idque adeò certò constat, vt pestes Orbis Terrarum Pelagius & Celestius in Britannijs nati id ipsum confessi sint, dum causas suas in Synodis Prouincialibus decisas ad Sedis Apostolicæ tribunal, aut referre permiserunt, aut propria appellatione detulerunt. Quæ de Mo-*

no suo manere. Ità ex Beda & nonnullis monimentis à Spelmanno editis, quæ vltima licèt Auctor putarit necessaria non esse ad probanda supradicta, sibi tamen probari indicat. *Cap. 5. pag. 357. & seqq.*

Monachis Banchorensibus ex Monumento Anglico à Spelmanno adducuntur, supposititia sunt. Quæ à Beda narrantur, supremam Metropolitanorum auctoritatem à Britannis Episcopis agnitã fuisse non indicant, & si indicarent, eorum errorem diuinitùs correctum fuisse ostenderent, vt illi, qui in eo tuendo pertinaciter inhererent, duplicis culpæ rei sint, & impugnatæ veritatis, & amissi pudoris. Cap. 6.

SYNOPSIS

CAPITVM HVIVS DISSERTATIONIS.

Caput 1. *Quod Ecclesia Britannica à B. Petro, vel eius Successoribus instituta sit.* pag. 1.

Caput 2. *Quod Pontifex Romanus sit Patriarcha Occidentis, etiam Angliæ, idque sequi ex instituta per ipsum, aut Sacerdotes ipsius Britannica Ecclesia, Innocentij testimonio comprobatur.* pag. 17.

Caput 3. *Britannicam Ecclesiam, licet à Romana instituta non esset, eidem tamen ex vetusta consuetudine, cuius initium ignoratur, subesse ostenditur.* pag. 37.

Caput 4. *De Maioribus Diœcesibus à Concilio Arelatensi Syluestro Papæ tributis.* pag. 57.

Caput 5. *An Canonibus Nicenis Metropolitanorum dignitas constituatur suprema, & quid Canone sexto statutum sit de Auctoritate Patriarchali.* pag. 75.

Caput 6. *Quod Britannica Ecclesia à suis primordijs vsque ad tempus restitutæ sub Gregorio Magno per Augustinum Monachum Religionis auctoritatem supra Metropolitanam agnouerit.* pag. 90.

Imprimatur; si videbitur Reuerendissimo Patri Magistro Sacri Palatij Apostolici. 19. Octobris 1686.

Pro Eminentissimo Cardinali CARPINEO Vicario

H. Cardinalis CASANATE.

Imprimatur. Fr. Dominicus M. Puteobonellus Sacri Apostolici Palatij Magister, Ordinis Prædicatorum.

DISSERTATIO
DE
AVCTORITATE PATRIARCHALI,
ET
METROPOLITICA.

LICEt in præfatione ad Lectorem nonnulla de huius Diſſertationis occaſione, & inſtituto dicta ſint, hæc tamen adeò pauca ſunt, vt non abs re me facturum exiſtimem, ſi in limine huius Diſſertationis occaſionem eius altius repetam, & de inſtituto ipſius nonnulla alia ad clariorem eorum notitiam adiungam. Originem quidem ſuam habet hæc Diſſertatio ex his, quæ parte prima Antiquitatis Illuſtratæ, Diſſertatione ſecunda ſcripſeram. Cum enim ex pluribus Antiquorum monimentis ibidem oſtendiſſem, de toto Occidente locum habere, quod de Illyrici Eccleſijs in Synodo Romana coram Bonifacio 2. ante

mille

mille centum & quinquaginta annos dixerat Theodosius Echinienfis in Thessalia Episcopus, Romanos scilicet Pontifices vltra totius Orbis Ecclesiarum Principatum specialiter gubernationi suæ Occidentis Ecclesias vindicasse: non placuit hæc Romani Episcopi specialis in Occidentem auctoritas recentiori Scriptori Anglo, qui se Decanum Cathedralis Ecclesiæ Londinensis, & Sacellanum Regiæ Maiestatis nominat, ægreque tulit, Anglicanam Ecclesiam, quæ à Romanæ Sedis Communione auulsa est, à me Occidentalis Patriarchatus terminis comprehensam fuisse. Mentem suam hac de re explicat in libro de Originibus Britannicis, quem anno 1685. Londini edidit, vbi tamquam Anglicanæ Ecclesiæ Minister eiusdem defensionem suscipit, & Hierarchiam Anglicanæ Ecclesiæ, quæ post Schisma solos Episcopos & Metropolitanos ex superiori clero retinuit, Antiquæ Ecclesiæ conformem esse tuetur. Ostendere itaque conatur, Ecclesiam Anglicanam non solum Acephalam, id est sine Capite, sed ab ipsis nascentis fidei primordijs vsque ad aduentum Augustini Monachi Autocephalam, hoc est proprij Iuris, nullique Patriarchæ subiectam fuisse.

Duo igitur sunt, quæ Auctor contra me probanda suscepit, alterum scilicet, Romani Patriarchatus terminos coarctandos esse, ne ad Britannias se extendant: alterum, antiquam esse Anglicanæ Ecclesiæ Hierarchiam, quæ nullam aucto-

rita-

ritatem supra Metropolitanam agnoscit. Ad hæc præsertim probanda omne studium, omnem industriam, omne consilium Auctor adhibuit, non insistens Antiquorum vestigijs, sed nouas vias ingrediens, quas à vero deflectere hac Dissertatione breuiter monstrare conabor: Cum enim Auctor iste ad placita sua probanda assumpserit ea, quæ partim ipse, partim Launoius mortalium primi nouiter inuenerunt: rem non inutilem me facturum credidi, si illa in medium adferrem, & quam longè à vera Ecclesiæ Disciplina, à Veterum Patrum sententia, à Conciliorum Decretis, à sensu totius Antiquitatis aliena sint, in sequentibus ostenderem. Diuidam igitur hanc Dissertationem in sex Capita, quorum quatuor prioribus, quæ ad Origines Britannicæ Ecclesiæ, & Patriarchatus supra eam Iura spectant, adducam. Duobus verò posterioribus, quæ ad stabiliendam supremam Metropolitanorum auctoritatem à Decano Londinensi scripta sunt, expendam, & ipsis, quæ allegat, Auctorum testimonijs euertam. Putauit ipse auctoritatem Patriarchalem & Pontificiam sex primis sæculis Britannicæ Ecclesiæ ignotam fuisse, idque manifestum fieri ex responso Dinothi Abbatis, & Monachorum Banchorensium dictis: monstrabo Ego, de suprema Romani Pontificis auctoritate ne quidem vllum dubium fuisse, sed à suscepta sub Lucio Rege Catholica Religione, vsque ad Saxonum irruptionem, & aduentum Augu-

stini

ſtini Monachi Britanniam Sedis Apoſtolicæ auctoritatem coluiſſe: Cumque id varijs Britannicæ Eccleſiæ monumentis, & Gentis illius Hiſtorijs oſtendero, loco coronidis adiungam exhortationem ad Miniſtros Anglicanæ Eccleſiæ, in qua præ oculis ponam, quam longè à vero aberrent, qui Eccleſiam in toto Orbe defeciſſe, & in Mundi angulo à paucis repertam eſſe exiſtimant. Adducam Optati Mileuitani ſententiam, qua Donatiſtas ob ſimilem errorem arguit, quod ipſi olim Eccleſiam Catholicam redegerint ad paucos, & ab ijs miſſa fuerit quaſi in carcerem latitudo Regnorum. Adferam alia Antiquorum teſtimonia, quibus conſtabit, veram Eccleſiam, quia Catholica eſt, toto Orbe diffuſa in reperiri, & vnam eſſe, quia in vnius Communionis ſocietate ſub vno Capite viſibili concordat, neminemque ſalutem conſequi poſſe, qui à Capite illo aut Schiſmate diuiditur, aut hæreſi ſeiungitur, vt D. Hieronymus non exaggeratiue, ſicut quidam nuper effutire auſus eſt, ſed verè ſcripſerit ad Damaſum Papam: *Ego nullum primum niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini tuæ, id eſt Cathedræ Petri communione conſocior, ſuper illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit prophanus eſt. Si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluuio.*

CAPVT I.

Quod Ecclesia Britannica à B. Petro, vel eius Successoribus instituta sit.

1. Mens Auctoris Angli contendentis, à Paulo potius quam Petro institutam fuisse Britannicam Ecclesiam. Gildæ sapientis testimonium ab eo non adhibitum, forsan quia pro instituta à Petro Britannica Ecclesia eum facere prospexerit.

2. Eusebij testimonium adfertur ex Metaphraste, quo constat, Britannicam Ecclesiam institutionem suam Petro debere. Idem probat Metaphrastes, asserit Ioannes V., & adfirmat Kenulphus Rex Merciorum.

3. Adferuntur testimonia Eusebij, Theodoreti, & D. Hieronymi, ex quibus Auctor se clarè probaturum confidit, Insulas in Oceano positas fidei veritatem à Paulo primùm edoctas fuisse.

4. Expenduntur Eusebij prædicta testimonia, quorum duo priora nihil pro Pauli potius quam Petri in Britanniam aduentu faciunt; tertium verò Hieronymi, Paulum non ab Oceano Hispanico ad Britannicum, vt Auctor noster credidit, sed ab Oceano Arabico ad Oceanum Hispanicum fidem annuntiasse innuit, id, quod nihil ad rem nostram facit.

5. Clementis Romani testimonium adducitur, quo Paulum ad Occidentis terminos venisse asseritur, ad Britanniã peruenisse non dicitur.

6. Opinio Launoij hanc Clementis epistolam in dubium reuocantis non probatur; adducitur tamen Testimonium Seueri Sulpitij, quo serius trans Alpes Dei Religio suscepta fuisse dicitur, ac Auctoris nostri distinctio ad difficultatem ex testimonio Sulpitij motam euitandam reijcitur.

7. Seuero Sulpitio adstipulatur Venerabilis Beda, qui eo tempore Lucium Regem ad fidem conuersum fuisse commemorat, quo eam trans Alpes susceptam fuisse, Sulpitius narrat, quibus cùm sentire videtur Tertullianus, qui ijs ferè temporibus vixit, quo Lucius Britanniæ Rex sub Eleutherio Papa conuersus fuit.

8. De Lucij Regis conuersione alia Antiquorum testimonia adferuntur, & de Legatione ab eo Romam ad Eleutherium Pontificem missa, Auctoris nostri placita adducuntur: Eam nimirum Romam missam fuisse, quia erat Ciuitas Imperialis, vt ex Ireneo probat.

9. Irenei locus adfertur, & quod malè ab Auctore nostro explicatus fuerit, ostenditur. Asserit Ireneus, Fideles omnes cum Romana fide non ob Ciuitatis, sed ob Ecclesiæ illius potentiorem principalitatem conuenire debere. Honorij Imperatoris testimonium de Principatu Domus Augustæ, & principio Sacerdotij Romæ stabilitis. Additur sententia Augustini, qui tradit, Apostolicæ Cathedræ Principatum semper Romæ viguisse, quem cum Auctor noster negat, manifestam veritatem oppugnat.

VT de originibus Britannicæ Ecclesiæ agamus, inquirenda est primæua illius institutio,

quam recentiores Scriptores varijs Apostolis, varijsque Christi Discipulis tribuerunt. Non vacat, hac Dissertatione singulorum opiniones referre, vnam dumtaxat Auctoris nostri expendam, qui ne Baronij sententiam de instituta per Petrum Britannica Ecclesia admitteret, eam Paulo Apostolo tribuit, idque se clarè probaturum confidit. Antequam autem Quæstionem aggreditur, nonnullorum opiniones reijcit, qui alios Christi Discipulos mare Britannicũ traiecisse putarunt, contenditque, nihil ad eorum institutum facere Gildam sapientem, qui epistola de excidio Britanniæ scribit. *Interea glaciali frigore rigenti Insulæ, & veluti longiori Terrarum recessu soli visibili non proximæ, verus ille non de firmamento solum temporali, sed de summa etiam Cælorum arce tempora cuncta excedente Vniuerso Orbi præfulgidum sui corruscum ostendens (tempore, vt scimus, Summi Tiberij Cæsaris, quo absque vllo impedimento eius propagabatur Religio, comminata, Senatu nolente, à Principe morte dilatoribus militum eiusdem) radios suos primum indulget, id est sua præcepta Christus: quæ licet ab incolis tepidè suscepta sunt, apud quosdam tamen integrè, & alios minus vsque ad persecutionem Diocletiani Tyranni nouennem, in qua subuersæ per totum Mundum sunt Ecclesiæ.* Non desunt, qui ex hoc Gildæ testimonio circa vltimum Tiberij annum Euangelium in Britannia prædicatum fuisse volunt, quos Auctor noster meritò reijcit, ipsosque Gildæ testimonium non intellexisse ostendit. Ait nam-

Gildas Sapiens.

namque Gildam duo distinguere, prædicationem Fidei per Orbem vniuersum, & Euangelij annuntiationem per Britanniam. Primum fatetur contigisse extremo tempore Tiberij, quo teste Eusebio in Chronico Pilatus de Christi Diuinitate, & Christianorum in Palestina persecutione ad Tiberium: Tiberius, teste Tertulliano in Apologetico, ad Senatum retulit, & negante Senatu suum suffragium pro Christo inter Deos referendo, Tiberius in sententia permansit comminatus mortem ijs, qui Christianos persequerentur. Tunc enim liberè Euangelium vbique annuntiari potuit, prout id factum esse, Gildas initio superioris Testimonij clarissimè indicat. Aliud de Fidei annuntiatione per Britanniam, ijsdem ferè temporibus Gildas contigisse asserit, quod Auctor noster pro prædicato ab Apostolis per Britanniam Euangelio præ cæteris testimonijs vrgere potuisset, nisi forsan prospexisset, Gildam potius pro Petri, quam Pauli in Britanniam aduentu citari posse. Extat sanè in eadem Gildæ epistola locus, in quo mores Britannici Cleri redarguit asserens: eos *Sedem Petri Apostoli immundis pedibus vsurpare*. Quem locum cum Auctor in fine operis sibi obiecisset, respondet, Sedem Petri apud Gildam nihil ad rem facere, cuius rationem si quæras, aliam non obtinebis, quam quod Auctori nostro non placeat *Sedes Petri Apostoli*, quam Gildas in Britannia collocat, dum eam à Britannico Clero immundis pedibus vsurpari affirmat. Duos sensus patitur Gildæ testimonium: pri-

Gildas Sapiens.

mus est,quod Petrus in Anglia fuerit, ibique Sedem Episcopalem instituerit, & Diaconos,ac presbyteros ordinauerit, qui historicus est, & pluribus probatur. Secundus, quod Sedi Petri Clerus Britannicus Institutionem suam debeat, qui sensus ab alijs admittitur. Neuter Auctori nostro placet, & ideò Gildam inter eos, qui de institutione Britannicæ Ecclesiæ egerunt, non ita vrgendum ducit.

2. Cæterum priorem sensum Historicum de instituta per Petrum Anglicana Ecclesia confirmat Eusebius apud Metaphrastem his verbis: *Simonem Petrum duodecim quidem annos esse versatum in Oriente, viginti autem & tres annos transegisse Romæ, & in Britannia, & in Ciuitatibus, quæ sunt in Occidente.* Refert hoc testimonium Armachanus ex Metaphraste, qui commentario de Petro & Paulo ad diem 29. Iunij etiam de Petro affirmat, cum in Britannia longo tempore fuisse moratum, & multas Gentes non nominatas attraxisse ad fidem, *cumque Ecclesias constituisset, Episcopos, & Presbyteros, & Diaconos ordinasset, duodecimo anno Cæsaris Neronis rursùs Romam reuersum esse.* His adiungi potest Ioannes V. qui ante 900. annos epist. ad Ethelredum, & Alfridum Anglo Saxonum Reges apud Malbur. libr. 3. se gaudere fatetur, quod in ipsis cernat feruorem Fidei, *quam*, inquit, *ex Prædicatione Principis Apostolorum, Deo vestros animos illuminante, accepistis, & efficaciter tenetis.* Et ante annos 850. Kenulphus Merciorum Rex epistola ad Leonem III. *Vnde*

Eusebius apud Metaphrastem.

Metaphrastes ad diem 29. Iunij.

Ioannes V.

Kenulphus Merciorum Rex

dè tibi Apostolica dignitas, inde nobis fidei veritas innotuit.

3. Iam adducenda sunt testimonia, quibus Auctor nititur, ad hanc Prouinciam Paulo potius, quam Petro vindicandam. Ac primum quidem testimonium, quod adducit, est Eusebij Cæsaræensis, quem lib. 3. de Demonstratione Euangelica cap. 7. scripsisse perhibet, quod post conuersionem Romanorum, Persarum, Armenorum, Parthorum, Indorum, & Scytharum, Apostoli pertransierint Oceanum ἐπὶ τὰς καλουμένας Βρεττανικὰς νήσους *ad Insulas, quæ vocantur Britannicæ.* Secundum est Theodoreti, qui tomo 1. in Psalmum 116. à Paulo non solum Hispaniæ, sed *& Insulis in Oceano positis* Fidem annuntiatam fuisse asserit., „ Hæc enim, inquit Auctor, „ verosimiliùs intelligendà sunt de Insulis Britan„ nicis, quæ in Oceano positæ sunt, de quibus „ idem Theodoretus tomo 4. serm. 9. scripsit: *quod* „ *Piscatores nostri, & Publicani leges Euangelicas* „ *intulerunt.* Theodoreto adiungit Hieronymum, qui in caput 5. Amos scribit de Paulo, quod vsque ad Hispanias tetenderit, *& à Mari Rubro, imò ab Oceano vsque ad Oceanum cucurrerit, imitans Dominum suum Solem Iustitiæ, de quo legimus: à summo cælo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius.* Huic Hieronymi testimonio aliud adiungit ex libro eius de Scriptoribus desumptum, vbi dicit, Paulum post dimissionem è carcere prædicasse Euangelium in partibus Occidentalibus, *quo nomine,* in-

Theodoretus in psalm. 116.

Auctor pag. 37. and therefore in all probability the britisch Islands are vnderstood by him &c.

Hieronymus in cap. 5. Amos.

pag. 38. by Vvhich the british Islants especially vnderstood.

inquit Auctor, *præcipuè significabantur Insulæ Britannicæ*, idque ait constare ex testimonio Clementis Romani, qui scribit, Sanctum Paulum annuntiasse Iustitiam per totum Orbem, & istud agendo, iuisse ἐπὶ τὸ τέρμα τῆς δύσεως, *ad terminos Occidentis*. Quam locutionem putat necessario etiam complecti Britanniam, in qua Paulum prædicasse, dicit Venantius: ita enim de Paulo testatur in vita S. Martini lib. 3.

Clemens Romanus epist. ad Corinth.

Venantius Fortunatus.

Transit & Oceanum, vel qua facit Insula portum,
Quasq; Britãnus habet Terras, quasq; vltima Thule.

4. Verum qui hæc Antiquorum Patrum testimonia sedulò peruoluit, facilè perspiciet, ex ijs certò non constare, quod Britannia primum à Paulo fidem acceperit. Eusebij locus ab Auctore indicatus integer referendus est, cum enim de duodecim Apostolis, & septuaginta Christi Discipulis sermonem instituisset, scribit de ijs, καὶ τοὺς μὲν αὐτῶν τὴν Ῥωμαίων ἀρχὴν καὶ αὐτήν τε τὴν βασιλικωτάτην πόλιν νείμασθαι, τοὺς δὲ τὴν Περσῶν, τοὺς δὲ τὴν Ἀρμενίων, ἑτέρους δὲ τὸ Πάρθων ἔθνος, καὶ αὖ πάλιν τὸ Σκυθῶν, τινὰς δὲ ἤδη καὶ ἐπ' αὐτὰ τῆς οἰκουμένης ἐλθεῖν τὰ ἄκρα, ἐπί τε τὴν Ἰνδῶν φθάσαι χώραν, καὶ ἑτέρους ὑπὲρ τὸν ὠκεανὸν παρελθεῖν ἐπὶ τὰς καλουμένας Βρεττανικὰς νήσους. *Et alios quidem eorum Imperium Romanum, ipsamque omnium Vrbium Reginam Ciuitatem inuadere. Alios Persarum Regnum, alios Armeniorum, Parthorum alios Nationem. Item alios Schytarum, quosdam etiam ad ipsos Orbis Terræ venisse fines, Indorumque Regiones pe-*

penetrasse, alios porrò trans Oceanum euasisse ad eas Insulas, quæ Britannicæ vocantur. Ex his enim verbis non habetur, quod Eusebius potius vnum, quam plures, & Discipulum potius quam Apostolum, & ex Apostolis Paulum potius quam Petrum ad Britannias peruenisse testatur: vt si per alios intelligendi sint Apostoli, saluo Eusebij testimonio non solum Paulus, sed etiam Petrus, idque ante Paulum in Britannijs verbum Dei prædicare potuerit, prout Eusebium alicubi dixisse, supra ex Metaphraste audiuimus. Alius est Theodoreti locus Tomo 4. serm. 9. quo Britannos numerat inter illas Gentes, *quibus Piscatores nostri, & Publicani, Sutorque . . . . . leges Euangelicas intulerunt.* Sed neque ex illo habetur, Britannos potius à Paulo, quam à Petro Euangelij veritatem edoctos fuisse. Ex alijs Theodoreti locis ne quidem conficitur, Paulum ad Britannias peruenisse, prout nec demonstrari potest ex locis D. Hieronymi, & Clementis Romani. D. Hieronymus enim scribit in caput 5. Amos Prophetæ, *quod Paulus vocatus à Domino effusus sit super faciem vniuersæ Terræ, vt prædicaret Euangelium Hierosolymis vsque ad Illyricum, & ædificaret non super alterius fundamentum, vbi iam fuerat prædicatum, sed vsque ad Hispanias tenderet, & à Mari Rubro, imò ab Oceano vsque ad Oceanum curreret, imitans Dominum suum Solem Iustitiæ, de quo legimus: à summo cælo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius, vt ante eum Terra deficeret, quam studium prædicandi.* Ex qui-

Theodoretus Tomo 4.

Hieronymus in cap. 5. Amos.

quibus verbis non colligitur, Paulum Apostolum ab Oceano Hispanico ad Britannicum, qui vnus idemque Occidentalis est, sed ab Oceano, qui mari Rubro adiacet, vsque ad Oceanum, qui vltimas Hispaniæ oras alluit, Euangelium prædicasse. Refert ipse Paulus ad Galatas 2., se Arabiam prædicando peragrasse, & post tres annos Hierosolymam rediisse, vt credi possit, vsque ad fines Arabiæ, quæ Oceano Arabico terminatur, peruenisse. Dixit itaque D. Hieronymus, Paulum à Mari rubro, seù potius Oceano mari Rubro contermino, vsque ad Oceanum Hispaniæ adiacentem Euangelium prædicasse. Vndè Theodoretus in epistolam ad Philippenses cap. 1. scribere potuit, quod Paulus ex Vrbe Roma profectus sit in Hispaniam, & postquam Hispanis Diuinum Euangelium tradidisset, reuersus sit, ac capite truncatus, tunc obierit. Neque per Occidentem alibi quam in Italia & Hispania Paulum prædicasse Gregorius Magnus libro 31. moralium cap. 22. commemorat, dum ait: *Paulus, cum nunc Iudæam, nunc Corynthum, nunc Ephesum, nunc Romam, nunc Hispanias peteret, vt in peccati morte iacentibus æternæ vitæ gratiam nuntiaret, quid se aliud quam esse Aquilam demonstrabat?*

Ad Galatas cap. 2.

Theodoret. in epist. ad Philippenses cap. 1.

Gregorius Magnus lib. 31. moralium cap. 22.

5. Nec refert, quod D. Hieronymus libro de Scriptoribus affirmet, Paulum è carcere dimissum, *vt in partibus Occidentalibus Euangelium prædicaret*; licet enim Britanniam in partibus Occidentalibus sitam esse, rectè Auctor noster statuat, fateri tamen te-

D. Hieronymus libro de Scriptoribus.

tenetur, plures esse regiones in Occidente, nec in omnibus Paulum Apostolum fidem annuntiasse. Promiserat Paulus, se ad Hispanias profecturum, an autem promissionem suam adimpleuerit, dubitat Baronius, licet affirmet D. Hieronymus, qui de alijs Occidentis partibus nullam mentionem facit. Idem responderi potest ad locum Clementis Romani, qui epistola ad Corinthios iuxtà editionem Patricij Iunij ita habet de Paulo: κήρυξ γενόμενος ἔν τε τῇ ἀνατολῇ, καὶ ἐν τῇ δύσει τὸ γνήσιον τῆς πίστεως αὐτοῦ κλέος ἔλαβεν, δικαιοσύνην διδάξας ὅλον τὸν κόσμον, καὶ ἐπὶ τὸ τέρμα τῆς δύσεως ἐλθὼν, καὶ μαρτυρήσας ἐπὶ τῶν ἡγουμένων, οὕτως ἀπηλλάγη τοῦ κόσμου: *& in Oriente, ac Occidente verbi præco factus illustrem fidei suæ famam sortitus est, in iustitia mundum vniuersum instruens, & ad Occidentis terminos veniens, & sub Imperatoribus Martyrium subiens, sic è Mundo migrauit*. Ad Occidentis terminos Paulum venisse lego, ad Britannias venisse, intelligere minimè debeo. Non enim testatur Clemens Romanus, Paulum venisse ad omnes Occidentis terminos, alioquin debuisset etiam peragrare Flandriam, Batauiam, Daniam, aliasque Septentrionis oras maritimas: sed testatur, ad aliquos Occidentis terminos venisse, quod verum erit, licet solam Hispaniam pertransisset, & ad vltimas eius oras maritimas substitisset. Quod autem ex Venantio adfertur, nihil probat, quia nimium probat: Dicit Auctor, Paulum illas terras prædicando transijsse, *quas Britannia habet, &* *vlti-*

Epist. ad Rom. cap. 15. num. 24.

Clemens epist. ad Corinth.

Venantius.

vltima Thule. Nullatenus autem verisimile est; Apostolum ad vltimam Britanniæ partem, quam olim Caledoniam, nunc Scotiam vocamus, multò minus ad Yslandiam Septemtrionalium Insularum vltimam, quam Tacitus in vita Agricolæ Thyle vocare creditur, peruenisse, neque vllum de ista re antiquitatis testimonium extat.

> Tacitus: *Hanc oram nouissimi maris tunc primum Romanæ Classis circumuecta, insulam esse Britanniam affirmauit, ac simul incognitas ad id tempus insulas, quas Orcadas vocant, inuenit, domuitque. dispecta est & Thyle, quam hactenus nix, & Hiems abdebat.*

6. Hisce præmissis, cum Authore nostro satis mirari nequeo, quid Ioannem Launoium Parisiensem Theologum, cum ab aduersarijs ex prædicto Clementis loco vrgeretur, ad Gallicanarum Ecclesiarum antiquitatem ab Apostolorum temporibus repetendam, quid, inquam, Launoium adegerit, ad reijciendam Clementis epistolam, cum salua illius auctoritate opinionem suam de Euangelio post Apostolorum tempora in Gallijs prædicato tueri potuisset. Mentis meæ non est, sententiam Launoij propugnare, qui nec in Gallia nec in Britannia temporibus Apostolorum Fidem prædicatam fuisse voluit: sed cum Auctor noster de Britannia id certis argumentis se probaturum dixit, licitum mihi, vt puto, fuit, infirmitatem argumentorum, quibus manifestam veritatem effici credebat, lectorum oculis proponere: licitumque, ni fallor, erit, testimonium, quod ab eruditis adductum est, vt Gallias diù post Apostolorum tempora fidem recepisse probent, in medium adferre. Est autem testimonium illud Seueri Sulpitij, qui post initium quinti sæculi scripsit, lib. 2. Historiæ Sacræ. *Sub Aurelio Antonini*

> Seuerus Sulpitius lib. 2.

filio

filio persecutio quinta agitata, ac tum primùm intra Gallias Martyria visa, serius trans Alpes Dei Religione suscepta. Duo sunt, quæ Seuerus testatur. Vnum, quod ad Gallias spectat, ante Aurelium Antonini filium nulla Martyria in Gallijs visa. Aliud, quod etiam ad Angliam pertinere videtur, serius trans Alpes Dei Religionem susceptam esse. Hoc vltimum Auctor noster, quia sententiam suam euertit, distinctione eludit: distinguendum nãque putat inter rem, quæ à Seuero asseritur, nimirum tunc primum visa fuisse Martyria: & rationem, quæ adiungitur, ob prædicatam serius trans Alpes Religionem Catholicam. Dicit, Seuerum de primo certum fuisse, dubium de secundo. Sed nemo non videt, hæc effingi contra expressum Seueri Testimonium, quo duo facta eadem certitudine ab eo affirmantur. Dicit martyria primum visa in Gallijs tempore Aurelij, additque, serius trans Alpes Dei Religionem susceptam. Vtrumque factum est, de quo æqualiter sibi constare innuit, cumque Britanniæ trans Alpes sitæ sint, sequitur iuxtà fidem Seueri Sulpitij, serius quoque in ijs Religionem Christianam susceptam fuisse.

7. Erat Seuerus natione Gallus, scripsitque ad annum circiter 420., cui si Scriptorem Anglum adiungere velimus, habemus Venerabilem Bedam, qui ante 1000. & plures annos gentis Anglorum Historiam Ecclesiasticam retexens eo ipso tempore Religionis in Britannia meminit, quo Seuerus eam

trans Alpes susceptam fuisse innuit. Legi potest Historia Venerabilis Bedæ Presbyteri, nullum de prædicata per Apostolos in Britannijs fide verbum in ea reperietur. Prima, quam de religione mentionem facit, ad tempora Eleutherij Pontificis spectat. *Anno*, inquit, *ab Incarnatione Domini centesimo quinquagesimo sexto, Marcus Antonius Verus, quartus decimus ab Augusto, Regnum cum Aurelio Commodo fratre suscepit, quorum temporibus cum Eleutherius Vir sanctus Pontificatus Romanæ Ecclesiæ præesset, misit ad eum Lucius Britanniarum Rex epistolam obsecrans, vt per eius mandatum Christianus efficeretur, & mox effectum piæ postulationis consecutus est, susceptamque fidem Britanni vsque in tempora Diocletiani Principis inuiolatam, integramque quieta in pace seruabant.* Sub Aurelio Antonini filio *primum martyria in Gallijs visa* testatur Seuerus. Sub Aurelio quoque Religionem in Britannia susceptam testatur Beda antiquitate & sanctitate Venerabilis, cui lucem prætulisse videtur Tertullianus, qui Aurelio Imperatori ferè coætaneus fuit, ac libro contra Iudæos inaccessa quondam Romanis loca Christo subdita prædicauit. *Britannorum*, inquit, *inaccessa Romanis loca, Christo verò subdita*. Ac si testaretur, non diu antequam scriberet, Britannias Christi Fidem accepisse, quod optimè cum suscepta tempore Eleutherij Fide conuenit, cum paulò ante, quam Tertullianus scribebat, Eleutherius vixerit, sub quo Lucius ad fidem conuersus fuit.

[Margin: Venerabilis Bedæ lib 1 Hist. gentis Anglorũ.]

[Margin: Seuerus Sulpitius.]

[Margin: Tertullianus libro contra Iudæos.]

8. Re-

8. Rectè itaque Venerabilis Beda sub Lucio Britanniæ conuersionem ponit, quod in Manuscripta Regum Anglorum Historia, quæ in Bibliotheca Vaticana custoditur, his verbis confirmatur: *Lucius misit litteras Eleutherio Papæ pro Christianitate suscipienda, & obtinuit.* Idem testantur non modo omnes istius Nationis Scriptores cum Mariano Scoto, sed & Scriptores Germani, Galli, ac Itali, inter quos videri potest Sigebertus Gemblacensis in Chronico, Hermannus Contractus in Chronici compendio, Ado Viennensis in Martyrologio, & Anastasius Bibliothecarius in Pontificali Romano, vbi de Eleutherio testatur: *hic accepit epistolam à Lucio Britanico Rege, vt Christianus efficeretur per eius mandatum.* Desumptum id est ex antiquo Romanorum Pontificum Catalogo tempore Iustiniani Imperatoris exarato, qui extat in Bibliotheca Sapientissimæ Sueuorum Reginæ, in quo sub Eleutherio eadem omninò verba leguntur, vt nullum dubium esse possit de hac Lucij conuersione sub Eleutherio, de qua omnes conueniunt: licet non ità consentiant de personis, quibus mediantibus Lucius ab Eleutherio de fide edoceri petiuit, & quorum ope Eleutherius non modò Lucium, sed & plerosque Britannos ad fidem conuertit, Ecclesiamque in regione illa instituit. Auctor noster à Lucio Eluanum, & Medroinum missos fuisse admittit, & hanc Legationis rationem reddit: „ Eluanus, ac Eduuinus erant „ Britanni, & Christiani, & propterea missi ad „ Eleu-

Manuscriptus Codex Bibl. Vat.

Anastasius Biblioth. in Pontificali.

Catalogus Romanorum Pontificum tempore Iustiniani Imperatoris conscriptus.

pag. 68. Eluanus and Edvvinus vvere Britisch

,, Eleutherium, qui verisimiliter occupati fuerunt ,, in conuertendo Lucio. Is autem cum fama Vr- ,, bis Romæ ad eum peruenisset, & intellexisset, ,, non tantum Christianos ibi esse, sed & Episco- ,, pum Vrbis XII. ab Apostolis ibi degere, scire ,, cupiebat, quatenus Britanni Christiani conueni- ,, rent cum Christianis Romanis. Iustè si quidem ,, poterat præsumere, Doctrinam Christianam ,, ibi verè doceri, cum tantillum temporis spatium ,, fluxisset ab Apostolis, & in loco, ad quem (vt ,, Ireneus argumentatur in simili casu) recurreba- ,, tur ab alijs locis, quia erat Ciuitas Imperialis. Hæ ,, fuerunt considerationes rationi satis congruæ, ,, quæ incitare poterant Lucium ad expediendum ,, Legationem Romam, & non quia Caput Eccle- ,, siæ ibidem institutum erat à Petro, de quo nemò ,, tunc cogitabat.

Christians them selues, and therefore sent to Eleuterius. he. uing been probably the persons employ'd to conuince King Lucius: but he knovving the great fame of Rome, and it being told him, not onely that there vvere Christians there but a bishop in that city, the tvvelfth from the apostles, had a desire to understand, hovv far the britisch Christians and those of Rome agreed; and he micht reasonably then presume, that the christian doctrine vvas there trullj taught, at so little distance from the Apostles, and in a place vvhither. as Ireneus argues in this case a resort vvas made from all places, because of its being the Imperial city. these vvere reasonable considerations Vvhich micht moue King Lucius &c.

9. Verum cum Auctor Legatos à Lucio ideò Romam missos fuisse fateatur, vt præstarent, quod ab omnibus vndique Fidelibus, teste Ireneo, tunc præstari solebat, vnum scire vellem, vbinam reperit, id obseruatum fuisse ob Ciuitatis Romanæ principalitatem? Certè in Irenei verbis hanc interpretationem inuenire non potuit, cum illa, quorum mentionem facit, desumpta sint ex lib. 3. cap. 3. vbi Sanctus ille Lugdunensis Episcopus fideles omnes ad Ecclesiam Romanam mittit. *Ad hanc enim Ecclesiam*, inquit, *propter potentiorem principalitatem necesse est omnem conuenire Ecclesiam*. At vbinam

D. Ireneus lib. 3. cap. 3.

quæ-

quæso dicit ibi Ireneus, recurrendum esse Romam, *quia erat Ciuitas Imperialis*? In verbis Irenei legit Auctor noster, quod verbis suis minimè significat Ireneus. Scribit enim, non Vrbem Romam, sed *Ecclesiam Romanam Petri, & Pauli sanguine consecratam* consulendam esse in controuersijs Fidei, & omnes sub Cælo fideles cum Romana Ecclesia conuenire debere propter potentiorem eius, non verò Ciuitatis Imperialis Principalitatem. *ad hanc Ecclesiam*, inquit Ireneus, *propter potentiorem principalitatem necesse est, omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt vndique Fideles*. Vt Lucius itaque Legationem Romam mitteret, non Ciuitatis Imperium, sed Ecclesiastici Principatus fastigium in causa fuit. in *Vrbe Roma* enim, vt Honorij Imperatoris verbis vtar, non solum *Romanum Principatum* Domus Augusta obtinuit, sed *principium* quoque *Sacerdotium* accepit; & ibi etiam, vt Augustinus epist. 162. affirmat, *Semper viguit Apostolicæ Cathedræ Principatus*. Hunc autem Ecclesiæ Principatum Christus Petro commisit, Petrus verò suis in Romana Sede Successoribus reliquit, quæ dum negat Auctor noster, veritatem impugnat, quam Galliæ splendor Peronius in responso ad Iacobum Angliæ Regem cap. 23. innumeris ferè Canonibus, & Conciliorum, ac veterum Patrum testimonijs comprobat. Plura eorum adducerem, nisi de Romani Pontificis Patriarchali in Occidentem, non verò suprema eius in Orbem Catholicum auctoritate, præcipua Quæstio instituta esset;

Honorius Imperator epist. ad Theodosium Aug.

D. Augustinus epist. 162.

esset; vndè vt, quod tractandum suscepimus, prosequamur; dicamus cum Auctore nostro, à Lucio ad Eleutherium Legatos missos fuisse, vt de rebus fidei inquirerent; & fateamur cum Ireneo, Britannos æquè ac alios Fideles cum Romana Ecclesia conuenire debuisse propter potentiorem eius principalitatem: adiungamus cum Scriptoribus Anglis, Eleutherium Romanæ Ecclesiæ Pontificem auctoritate sua vsum fuisse, dum legatos illos ordinauit, qui in Britanniam missi Lucium baptizarunt, Ecclesias instituerunt, ac Episcopos consecrarunt: & ex his concludamus, verum esse, quod in Titulo huius capitis probandum assumpsi, Britannicam Ecclesiam à S. Petro, vel ijs, quos successores eius ordinarunt Sacerdotes, institutam fuisse.

CAPVT II.

Quod Pontifex Romanus sit Patriarcha Occidentis etiam Angliæ, idque sequatur ex instituta per ipsum, aut Sacerdotes ipsius Britannica Ecclesia, vt Innocentij testimonio comprobatur.

1. Patriarchatus Romanus in omnem Occidentis Ecclesiam, qui Canone 17. Concilij Generalis octaui asseritur, Auctori nostro minimè probatur: eius verba adducuntur.

2. Modum probandi ius Patriarchatus ex vsu, & vsum ex Iure, ait ridiculum esse; tamen fatetur, illum valere contra de Marca aliosque Catholicos, qui Patriarchatum Romani Pontificis in totum Occidentem admittunt, contra quos solum

illo

illo probandi modo vsus sum, vt ridiculus esse non possit.

3. *Contra Hæreticos, qui Romanum Occidentis Patriarchatum negant, non illo, sed alio probandi modo vsus sum, perpetua nimirum Antiquorum traditione, quam ipsi Schismatici Græci negare ausi non sunt.*

4. *Inter Antiquorum Testimonia, quæ pro traditione illa adduxi, vnum fuit D. Augustini, qui manifestè tradidit, Innocentium primum Ecclesiæ Occidentali præfedisse non ordine, & dignitate tantum, sed etiam Iurisdictione.*

5. *Aliud testimonium fuit ipsius Innocentij primi, qui per omnem Galliam, Hispaniam, Africam, Siciliam, Italiam, & Insulas interiacentes à solo Petro, vel eius Successoribus, aut ab ijs, quos ordinarunt Sacerdotes, Ecclesias institutas fuisse refert, omnesque illas Sedem Apostolicam tamquam caput Institutionum agnoscere debere, affirmat.*

6. *Quomodo his non obstet, quod Paulus Romæ, & forsan in alijs Occidentis partibus prædicauerit, ex ipso Paulo ostenditur, qui inter Ecclesias prædicatione sua institutas illas dumtaxat numerat, quibus ipse primum fidem annuntiauit, qualis non est Romana, vtpotè ante Pauli in Italiam aduentum à Petro fundata: idem dici potest de alijs Ecclesijs Occidentalibus, si Paulus in alijs prædicauit.*

7. *Obijciuntur duo ab Auctore nostro, quorum primum ad factum pertinet, dum negat, à solo Petro, aut missis à Sede Apostolica Sacerdotibus Ecclesias in Occidente, & præsertim in Britannia institutas fuisse. Secundum ad rationem Innocentij debilitandam spectat, quod nimirum nulla sit connexio inter institutionem Ecclesiæ, & eius subiectionem, adeoque ex institutione Ecclesiarum non sequatur ius Patriarchale in illas.*

8. *Satisfit primæ obiectioni, & circa factum Innocentio potius quam Auctori nostro credendum esse, ostenditur. Dicit autem Innocentius, in Insulis Italiam, Africam, Hispaniam, & Gallias interiacentibus à solo Petro institutas fuisse Ecclesias: inter Insulas autem illas numerari potest Britannia, cum non solum Gallijs adiaceat, sed quoad aliquam partem interiaceat; quin imò inter illas numerari debeat, cũ in Britanniam, si non à Petro, à missis per Eleutherium Petri Successorem Sacerdotibus, institutam Ecclesiam constet.*

9. *Satisfit secundæ obiectioni, & stabilitur ratio ex facto desumpta, ostenditurque connexio inter institutionem Ecclesiæ, & eius subiectionem, cum Ecclesia à nemine institui possit, nisi ab eo, qui mittitur, & iurisdictionem habet, quod ad Superiorem spectat, vndè rectè Innocentius Sedem Apostolicam institutionum Caput appellat.*

10. *Quæ demum ab Auctore obijciuntur de institutis à Lucio Rege per totam Bauariam, & Rhetiam Ecclesijs, infirmis testimonijs niti monstrantur, & si vera essent, nihil pro Anglicanæ Ecclesiæ auctoritate super Bauariam, & Rhetiam facerent, nisi ostenderetur, Lucium auctoritate Anglicanæ Ecclesiæ in illas partes missum fuisse, & eiusdem auctoritate Episcopos ibidem ordinasse, quod nunquam ostendi poterit.*

11. *Ad hoc vt cuiusdam Regionis Episcopi Patriarchæ subiecti sint vi ordinationis, sufficit, quod primus eorum Episcopus à Patriarcha institutus sit, vt exemplo Frumentij primi Aethiopiæ Episcopi, & testimonijs Nicolai primi, Gregorij Magni, ac Concilij Generalis octaui probatur.*

1 EGimus præcedenti Capite de Originibus Britannicis, siuè institutione Britannicæ Ecclesiæ, nunc agendum de eius sub Romano Episcopo tanquã Occidentis Patriarcha subiectione, de qua Auctor noster cap. 3. his verbis mecum Quęstionẽ instituit: „ Cum præsens Custos Vaticanæ Biblio- „ thecæ... conatus sit in Dissertatione ex professo „ edita asserere Patriarchatum Papæ in Ecclesias „ Occidentales, discutiam vim eorum omnium, quę „ ad institutum suum adducit. Conuenit nobis- „ cum in determinandis iuribus Patriarchalibus, „ quæ tria esse affirmat: primum consecrandi Epi- „ scopos, & Metropolitas: secundum, eos conuo- „ candi ad Synodũ: tertium, appellationum. Omnia „ hæc fuisse legitima, & vera Patriarchalia iura pro- „ bat ex Canone XVII. Concilij Generalis octaui. „ Nos sub his legibus parati sumus stare, aut cadere „ Ita Auctor ille in ipso disputationis suæ exordio, qui si Regulam Concilij Generalis Octaui audire vellet, iam cecidisse, antequam pugnare cæpit, monstrari posset. Canon enim ille ad renouandam Patriarchalem Romani Pontificis in Occidentis Metropolitanos potestatem statutus fuit, quod Auctoris nostri institutum non promouet, sed, vt infra videbimus, penitus euertit.

pag. 112. the present Keeper of the Vatican Library..... hauing endeauour'd, in a set discourse to assert the Pope's Patriarchal povver ouer the vvestern Churches, I shall here examine the strength of all that he produceth to that purpose. He aggrees vvith us in determining the Patriarchal Rights, vvhich he saith lie in these three things. 1. in the right of consecration of Bishops and Metropolitanes. 2. in the right of Summoning them to Councils. 3. in the right of appeals. All vvhich he proues to be the iust and true Patriarchal Rights from the Seuenteenth Canon of the eighth General Council. And by these vve are contended to stand or fall.

2. Prosequamur interim Auctoris illius placita, quibus contendit, me non rectè probasse, quod tria iura Patriarchalia superius memorata Romano Episcopo in totum Occidentem competant. Cũ nam-

que

que ius ex vſu illarum Regionum, in quibus Romanus Pontifex illud exercuit, confirmaſsem, in alijs Occidentis Regionibus, vbi ob priuilegia quædam ijs conceſsa ab exercitio iuris ſæpius abſtinuit, exercitium ſiue vſum ipſi competere, ex iure ipſo oſtendi. De hoc autem tamquam inepto probandi „ genere Auctor noſter queritur:„ ridiculum namq; „ ait, eſt iſtud argumenti genus, quo Papæ tribuun- „ tur iura Patriarchalia, quia ea exercuit, & quam- „ uis ea non exercebat, equidem eidem aſseruntur, „ quia Patriarcha Occidentis erat„ Et infra„ iſte mo- „ dus probandi valere poteſt contra de Marca, quia „ ille conceſserat, Papam eſse Patriarcham Occi- „ dentis, ſed riſu dignus eſt apud eos, qui Patriar- „ chatum illum negant.„ Iterum impingit Auctor, ſeque riſu dignum exhibet, dum modũ probãdi, quo vſus ſum, riſu excipi debere aſserit. Fatetur, ſuſceptũ à me probandi modum valere contra de Marca, illoſque omnes, qui Papam Occidentis Patriarcham appellant, quod omnes Catholici vſque ad annum 1678., quo Antiquitatem Illuſtratam edidi, faciebãt, quamuis non omnes Catholici in perpetuo iuris Patriarchalis per omnes Occidentis Prouincias exercitio conueniebant. Contra illos itaque Catholicos, qui Romanum Epiſcopum Occidentis Patriarcham fatebantur, iura tamen Patriarchalia per totum Occidentem exercere non debere contendebant, Diſſert. 2. Antiquitatis Illuſtratæ, cap. 4. tribus articulis de tribus prædictis iuribus Patriarchalibus egi, eo

pag. 119. for this Vvay of prouing is ridiculous: viz to proue that the pope had Patriarchal rights, becauſe he did exerciſe them: and then to ſay, though he did not exerciſe them, yet he had them; and ſo to proue that he had them, becauſe he vvas Patriarch of the Vveſt. pag. 120. this vvay of prouing may be good againſt de Marca, vvho has granted the pope to be the vveſtern Patriarch: but it is ridiculous to thoſe that deny it.

probandi modo vsus, quem contra illos valere Auctor ipse fatetur, vt minimè ridiculus esse possit.

3. Quod autem modus ille non valeat contra ipsum, qui Romani Pontificis in totum Occidentem Patriarchatum hoc tempore negare aggressus est, nescio, qua ratione mihi obiecerit. Si enim verum dicendum est,numquidnamEgo ante septenniũ diuinare potui, quòd post sex annos Auctor Anglus Patriarchatum Romani Pontificis oppugnaret, quẽ Iacobus Angliæ Rex in Apologia pro IuramentoFidelitatis non obscurè admisit. *Scio*, inquit, *Patriarchas in Ecclesia primitiua extitisse.* & infra: *inter illos de Principatu magna contentione certatum esse*:tumq; addit. *Quod si in eo quæstio adhuc verteretur, meo libens suffragio primum locum Episcopo Romano deferrem. Ego Occidentalis Rex Occidentali Patriarchæ adhærerem*. Notanda sunt priora, & vltima Iacobi verba. Prioribus enim Patriarchas in Ecclesia primitiua,hoc est, in ipso nascentis Ecclesiæ exordio fuisse affirmat:posterioribus,si de Patriarchatus Principatu quæstio institueretur,Romano tamquam totius Occidentis Patriarchæ se adhæsurum fatetur. hoc enim volunt illa verba: *Ego Occidentalis Rex Occidentali Patriarchæ adhærerem.* Quæ cum ante plures annos scripta sint à celebris memoriæ Rege in eo opere, quod proAnglicana Ecclesia edidit,nũquidnam præuidere potui,, quod Decanus Londinensis eiusdem Anglicanæ Ecclesiæ Minister, cum quæstio de Patriarchis instituitur,Patriarchatum Occidentis negatu-

Iacobus Angliæ Rex.

turus esset? Inquiet forsan, ne quidem Catholicos conuenire omnes, idq;patere ex libro nuperi Scriptoris de Disciplina Ecclesiæ. Sed iterum quæro, num Ego præscire potui, quod hoc anno 1686. die Nouembris decimo quarto, quo non solum hanc Dissertationem confeceram, sed & primum eius folium typis descripseram, ad manus meas perueniret liber, nuper editus, in quo Auctor nouitatis prurigine ductus Occidentalem Romani Episcopi Patriarchatum oppugnaret, quem omnis Gallia in illud vsque tēpus contra Schismaticos, & Hæreticos propugnandum susceperat. Eum propugnarat Perronius, propugnarat Sirmondus, propugnarat de Marca, propugnarant alij Gallicanæ Ecclesiæ Scriptores contra Salmasium Hæreticum, eiusque antesignanos aut sequaces, præter quos illorum temporibus nemo negabat Occidentalē Patriarchatum Pontificis: contra hos itaque & ego, non quidem superiori, sed alio probandi genere vtens calamum strinxi, ac Pariarchatum Romanum in totum Occidentem mōstraui. Præter Quæstionem enim de exercitio Iuris Patriarchalis contra Catholicos, aliam instituteram aduersus Hæreticos de ipso iure Patriarchali, quod Romano Episcopo in totum Occidentem competit: Illud autem probaui ex perpetua Antiquorum traditione, quam adeo perspectam habuit ante modernorum Hæreticorum aduentum omnis Christianorum Ecclesia, vt ipsi Schismatici Græci hanc veritatem propugnarint, & non solum Nilus Thessalonicensis Scrip-

Nilus Thessalonicensis. Scripserit: *Romano Episcopo hoc datum esse, vt Occidentalibus præsit*, sed & Barlaam Monachus cap. 2. libri de primatu Papæ palam professus sit: *Occidentales Ecclesias Papæ Gubernationi à Sanctis Patribus fuisse commendatas*. Auctoritates, quas Barlaam tacitis Sanctorum nominibus laudat, adduxi plures Differt. 2. Antiq Illustratæ, nec vacat modo, eas omnes repetere: duas dumtaxat hic adferam, vnam Augustini, aliam Innocentij Pontificis Romani, qui vno eodemque tempore, diuersis tamen in Regionibus Ecclesiam sanctitate, & doctrina sua illustrarunt.

Barlaam Monachus.

4 Ac Augustini quidem testimonium extat lib. 1. contra Iulianum cap. 2. vbi, citatis nonnullorum Patrum testimonijs, Cypriani scilicet ex Africa, Irenei, & Hilarij, aliorumque ex Gallia, D. Ambrosij demum ex Italia, sic petit à Iuliano Pelagij Britanni Discipulo: *an ideo contemnendos putas, quia Occidentalis Ecclesiæ sunt omnes, nec vllus in eis est commemoratus Orientis Episcopus? Quid ergo faciemus*, inquit Augustinus, *cum illi Græci sint, nos Latini? puto tibi eam partem Orbis sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo Martyrio coronari, cui Ecclesiæ præsidentem B. Innocentium si audire voluisses, iam tunc periculosam iuuentutem tuam Pelagianis laqueis exuisses*. Sic Augustinus de Innocentio primo, quem tamquam caput speciale Occidentali Ecclesiæ præsedisse clarioribus verbis exprimere non poterat. Quamuis enim Auctor noster

D. Augustinus.

,, ſter velit, Auguſtinum, tantummodo ordinem, ,, & dignitatem iſtius ſedis indicare, non verò aliarum ſubiectionem, quod nulla Eccleſia vehementius obſtiterit vſurpationibus Epiſcopi Romani, ,, quam Africana tempore Auguſtini. ,, Nemo tamen eſt, qui non videat, hoc effugium ad illudendam vim huius teſtimonij excogitatum eſſe; falſum enim eſt, Eccleſiam Africanam à Romanæ ſubiectione exemptam fuiſſe, neque hoc probant Diſputationes ab Eccleſia Africana quo ad particularia quædam Iuris exercitia pro paruo tempore inſtitutæ, & poſt agnitos Sardicenſis Synodi Canones ſopitæ. D. Auguſtinus teſtatur de Iure Patriarchali, quo Romanus Epiſcopus ſpecialiter Occidentali præeſt Eccleſiæ: neque dici poteſt, Africam inter Occidentales Eccleſias ab eo reputatam non fuiſſe. Cyprianum enim totius Africæ Primatem inter illos Epiſcopos enumerat, quos Occidentales fuiſſe affirmat, quoſque ab Orientalibus diſtinguit. Africa itaque ad Eccleſiam Occidentalem ſpectabat, cui Eccleſiæ Innocentium præſediſſe, & cuius Eccleſiæ Præſidem non ordine, aut dignitate, ſed auctoritate Pelagianam hæreſim damnantem à Iuliano audiri debuiſſe, Auguſtinus ſignificat, ſicut & tota Africana Eccleſia aures præbuerat, poſtquam de hæreſi illa ad Innocentium primum tamquam caput ſuũ retulerat. Cũ enim ad relationem à Sede Apoſtolica reſcripta acceperat: *Iam de hac cauſa*, inquit Auguſtinus de verbis Apoſtoli, Serm. 2. *duo Concilia miſſa ſunt ad Sedem*

pag. 131. he onely thereby shevvs the order and dignity of the Roman ſee; but he doth not ovvn any ſubiection of the vveſtern Churches to his Povver, ſince no Church did more vehementhly vvithſtand the bishop of Rome s'Incroachments than the Churches of African dit in St Auguſtine's time.

D. Auguſtinus.

dem Apostolicam, inde etiam rescripta venerunt, causa finita est, error vtinam finiatur. Ita Augustinus falsum & erroneum esse significans, quod nuperus Auctor de disciplina Ecclesiæ effutire ausus est, Africanos nullam iurisdictionem Patriarchicam Pontificis Romani in Prouinciã suam agnouisse, nihilque aliud ex Augustino colligi posse, quam Pontificem Romanum inter Occidentis Episcopos primum esse.

5. Augustinum audiuimus, iam ipsum Innocentium, ab Augustino laudatum, audiamus. Non solum enim Vir ille sanctissimus de causa Pelagianorum sibi tamquam totius Ecclesiæ Pontifici iudicium vindicat, sed tamquam speciali quoque per Africam, & alias Occidentis Ecclesias capiti competere, epistola ad Decentium Eugubinum Episcopum

Innocentius I.

his verbis significat: *Quis enim nesciat, aut non aduertat id, quod à Principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc vsque custoditur, ab omnibus debere seruari, nec superduci aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliundè accipere videatur exemplum? præsertim cum sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, Insulasque interiacentes nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus, aut eius Successores constituerint Sacerdotes. Aut legant, si in ijs Prouincijs alius Apostolorum inuenitur, aut legitur docuisse, qui si non legunt, quia nusquam inueniunt, oportet eos hoc sequi, quod Ecclesia Romana custodit, à qua eos principium accepisse non dubium est,*

ne

ne, dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur omittere. Præclarum est hoc Incentij primi testimonium, quo constat, vel D. Petrum, vel quos ipse, Successoresue eius constituerunt Sacerdotes, Ecclesias per omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, Siciliam, & Insulas interiacentes instituisse, illasque proinde Romanam Ecclesiam, vt speciale caput suum agnoscere debere. hoc enim disertè indicat vltimis verbis: *ne, dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur omittere.*

6 Nec est, quod quisquam Innocentio obijciat, Apostolum Paulum Romæ per biennium prędicasse, idque ex ipsis Apostolorum actis à Luca indiuiduo Pauli comite conscriptis constare. Respondet enim Eminentissimus Cardinalis Baronius in suis Annalibus tomo 1. ad An. 4. Paulum sub Petro ab Innocentio comprehendi, & si cui hæc Annalium Parentis responsio minus satisfaciat, Innocentij mentem ex ipsius verbis interpretemur, & solum Petrum in Occidente eo sensu prædicasse, quo prædicasse eum Sanctissimus Pontifex asserit, monstremus. Agit Innocentius loco superius citato de ea prædicatione Apostolica, qua institutæ fuerunt per Occidentem Ecclesiæ, non verò de illa, quę facta est post institutas semel Ecclesias: quomodo ipse Paulus Apostolus in epistola ad Romanos c. 15 egerat de Ecclesijs à se institutis: *ab Ierusalem*, inquiens, *per circuitum vsq; ad Illyricum repleui Euan-* Ad Rom. c. 15.

D *ge-*

gelium Christi. Sic autem prædicaui Euangelium hoc, non vbi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem, sed sicut scriptum est, quibus non est annuntiatũ de eo . Ex quibus videre licet, quod Paulus nullam Ecclesiam inter prædicationis suę loca enumeret, vbi anteà Euangelium prædicatum erat. Quod cum ita sit, & ex verbis ipsius constet, Romana numeranda non est inter Ecclesias à Paulo institutas: illa enim ante suum ad Vrbem aduentum iam instituta erat, vt patet ex ipsius epistola ad Romanos: hanc enim se scripsisse, antequam Romam venit, Paulus in epistola illa indicat: & tamen iam Romę Ecclesiam institutam fuisse asseruit, dum cap. 16. compluribus fidelibus Romanis salutem impertiri iussit, & cap. 1. epistolam suam *omnibus, qui sunt Romæ, Dilectis Dei, vocatis sanctis* inscripsit, ac *eorum fidem annũtiari in vniuerso Mundo* significauit. Paulus itaque Romanam Ecclesiam inter illas, quas prædicando instituit, minimè numerari permittit; quod Innocentius primus agnoscens, solum Petrum Romæ prædicasse indicauit, quia Romanam Ecclesiam, antequam Paulus ad Vrbem peruenerat, à Petro institutam fuisse legerat: idem de Hispania, alijsque Regionibus dici poterit, si quis Paulum in ea aliquando prædicasse crediderit: iam anteà enim vel à Petro, vel ab ijs, quos B. Petrus Sacerdotes ordinauerat, & ad partes illas miserat, Ecclesia fundata erat, vt prædicatio Pauli non obstiterit Ecclesiarum institutioni

Ibid. cap. 1.

fa-

factæ à Petro, quam prædicationem, & nullam aliam hic Innocentius intelligit, dum ſoli Petro, vel Sacerdotibus ab eo aut Succeſſoribus eius miſſis inſtitutionem Occidentalium Eccleſiarum tribuit.

7 His autem pro rectè intelligendo Innocentij Teſtimonio præmiſſis, reſpondendum eſt ad duas Auctoris noſtri obiectiones, quarum prima factum impugnat, ſecunda rationem ex facto deſumptam. Vtramque proponit his verbis:,, factum
,, non ita ſe habet: merito enim credere poſſumus,
,, multas eſſe Eccleſias in Occidente, quæ neque à
,, Sancto Petro, neque à miſſis ab eius Succeſſo-
,, ribus fuerunt inſtitutæ. Hoc tamen dato, quæ
,, connexio inter receptionem Doctrinæ Chriſtia-
,, næ ab ijs, qui indè miſſi fuerunt, & obligatio-
,, nem ſubijciendi ſe Epiſcopis Romanis, quo ad
,, omnia eorum decreta, & traditiones? Pa-
,, triarchale Regimen Eccleſiæ non eſt fundatū ſu-
,, per hoc, ſed ſuper antiqua conſuetudine & Cano-
,, nibus Eccleſiæ, vt planè apparet ex Niceno..:
,, quinimo quo ad Eccleſias Britannicas hæc ratio
,, Innocentij nouum erit argumentum illarum ex-
,, emptionis à Romano Patriarchatu, cum Britan-
,, nia non comprehendatur ſub Inſulis, quæ in-
,, teriacent Italiam, Galliam, Africam, & Siciliam,
,, ſed intelligi ſolum poſſint Inſulę in Mari Medi-
,, terraneo ſitę.,,

8 Duæ Obiectiones, quas Auctor hic miſcet,

pag. 132. but the matter of fact is far from being euident, for vve haue great reaſon to beliue, there vvere Churches planted in the vveſtern parts, neither by St Peter nor by thoſe vvho vvere ſent by his Succeſſours. yet let that be granted: vvhat connexion is there betvveen receiuing the chriſtiā doctrine at firſt by thoſe vvho came from thence, and an obligation to be ſubiect to the bishops of Rome in all their orders and traditions? the *Patriarchal* gouernment of the Church vvas not founded upon this, but upon the ancient cuſtome and Rules of the Church: as fully appears by the Council of Nice..... and, as to the British Churches, this very Plea of Innocent Vvill be a farther euidence of their exemption from the Roman *Patriarchate* &c.

à nobis ſeparandę ſunt : vtque in primis de illa, quæ factum attingit, agamus, dicit, non omnes Occidentis Eccleſias à Petro, vel ab ijs, quos Sedes Apoſtolica ordinauit, fuiſſe inſtitutas. Contrarium teſtatur Innocentius de Italia, Africa, Gallijs, Hiſpania, & Inſulis interiacentibus: cui hic fidem adhibebimus? Scriptori Anglo, qui poſt mille ſexcentos annos deperditis centenis Antiquitatis monimentis id propria auctoritate negat, an Sanctiſſimo Pontifici, qui ante mille ducentos ſeptuaginta annos vixit, & in ſcrinijs Apoſtolicæ Sedis plura hac de re Antiquitatis monumenta videre potuit, idque conſtanter affirmat? Si maiorum noſtrorum ſententiam perquiramus, tam illi, qui in Anglia, quam qui in reliquo Occidente ante nos vixere, Innocentij teſtimonio adhæſerunt, dum illud à tempore Dionyſij exigui in auctoritatem ſuſceperunt, & inter Decretales epiſtolas totius Occidentis Religione cōſecratas locum habere voluerunt. Innocentij igitur teſtimonio totius Occidentis iudicio per duodecim fermè ſæcula probato conſtat, in Italia, Africa, Gallijs, Hiſpania, & Inſulis interiacentibus nullum inſtituiſſe Eccleſias niſi Apoſtolum Petrum, vel quos ipſe aut eius Succeſſores conſtituerunt Sacerdotes; vt fruſtrà Auctor noſter Angliam poſt tot ſæcula aliter docere præſumat, & teſtimonio Innocentij Eccleſias Britannicas non comprehendi affirmet. Longè aliter Innocentium intellexit de Marca, qui ſupponit ſub Inſulis ab Innocentio memoratis etiam

Britannicas comprehensas fuisse: ratio est, quod non speciatim *Insulas Maris Mediterranei* inter Italiam, Galliam, & Africam interiacentes nominauerit Innocentius, sed vniuersim *interiacentes Insulas* dixerit, sub quibus Britannicæ Gallijs adiacentes; quin imò pro parte interiacentes comprehendi potuerũt, & si antiquorum scriptis fidẽ habere velimus, comprehendi debuerunt. Ex ijs enim constat, in Insulis Britannicis, si non à Petro Apostolo, vel missis ab eo prædicatoribus, saltem à constitutis per Successorem eius Eleutherium Sacerdotibus, vt suprà probatum est, institutas fuisse Ecclesias.

9 Et hæc quidem de prima circà factum obiectione: agamus iam de secunda, qua Auctor rationem impugnat ex facto desumptam. Ex Ecclesiarum Occidentalium institutione adeò manifestè concludit Innocentius pro earumdem sub Romano Patriarcha subiectione, vt Auctor noster id negari non posse confessus sit. Quod negare itaque non ,, potuit, impugnare visus est, petitque,, quęnam ,, connexio sit inter receptionem Doctrinæ Chri- ,, stianæ ab ijs, qui Roma missi fuerunt, & subie- ,, ctionem eorum, qui Doctrinam receperunt?,, Connexionis rationem petit, rationem itaq; à Christo audiat, qui Apostolos suos prædicare per Orbem noluit, nisi mitterentur; vndè ad Cœlũ ascensurus Marci vltimo his verbis eos allocutus est. *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni Creaturæ.* Respondeat & ipse Paulo Apostolo Marci vlt. cap.

epist.

Epist. ad Romanos.

epist. ad Romanos ita interroganti: *Quomodo enim prædicabunt, nisi mittantur?* Nonne hic Apostolus affirmat, necessariam esse missionem pro Euangelij prædicatione? nonne omnes auctoritatem specialem agnoscere debent, quando prædicatione instituendæ sunt Ecclesiæ, ordinandi Sacerdotes & Episcopi? Sic Apostoli accepta diuinitùs potestate Orbem terrarum prædicatione instruendum acceperunt, & partitis inter se Mundi Regionibus Ecclesias instituerunt, inter quas illæ solæ Patriarchalem dignitatem adeptæ sunt, in quibus Apostolus Petrus vel per se, vel per Discipulum suum Marcum Cathedras posuit. Sedit Antiochiæ, vbi Cathedram erexit, quæ Orientis Patriarchatum tenuit. Alexandriam Marcum Euangelistam, & Discipulum suum misit, cuius sedes ibidem erecta Patriarchatum obtinuit, qui tempore D. Athanasij vsque ad Indiam interiorem terminos suos habuit. Vt enim rectè obseruat Carolus à S. Paulo in Geographia Sacra: apud priscos mos ille inualuit, vt cuius Patriarchæ sollicitudine, & vigilantia prouinciæ Christo nomen dedissent, huic subditę remanerent: Sicq; Æthiopia siue India interior ad Sedem Alexandrinam spectauit, quod ad illam missus fuerit à D. Athanasio Frumentius, qui Euangelium prædicauit, populos fidei luce illustrauit, Episcoposque illis ordinauit, vt Ruffinus ab Ædesio se audiuisse testatur. Ex quibus patet, mirum videri non debere, quod Romana Sedes Occidentis Patriarchatum obtinuerit, cum

Apud Ruffinum in Historia.

Apo-

Apoſtolorum Princeps ciuitatem illam ſibi elegerit, & per Occidentem Eccleſias inſtituerit, nullusque alius Apoſtolus Epiſcopos aut Sacerdotes ibidem ordinauerit, ſed ſibi ſuiſque Succeſſoribus hoc ipſum ſeruarit. Hæc igitur eſt connexio inter receptionem Doctrinæ ab ijs, qui Roma miſsi ſunt, & ſubiectionem eorum, qui à miſsis Apoſtolicæ Sedis conuerſi fuerunt, quod Eccleſiarum iſtarum inſtitutio ſpeciali Romani Epiſcopi auctoritati debeatur, vt rectè dixerit Innocentius primus, Eccleſias à Sede Apoſtolica inſtitutas non poſſe ad peregrinas doctrinas attendere, ſed debere Romanum Epiſcopum conſulere, *ne caput inſtitutionum videantur omittere.*

Innocentius I.

10 Occurrit huic argumento Auctor pag. 68. aſſerens, ex antiqua traditione à Notkero probata, Lucium poſt conuerſionem relicto Regno totam Rhetiam, ac partem Bauariæ miraculis & prædicationibus ad Fidem Chriſti conuertiſſe. „ Quæ ſi „ vera ſint, inquit Auctor noſter, Eccleſia Britan„ nica ob conuerſionem iſtarum gentium per Lu„ cium Regem pari iure vendicare ſibi poteſt ſu„ perioritatem in Bauariam, & Rhetiam, ac Ec„ cleſia Romana vendicat ſuper Eccleſia Britan„ nica propter cõuerſionem Lucij ab Eleutherio? „ Notanda ſunt prima Authoris verba: *Quæ ſi vera ſint*, ijs enim ſignificat, ſe de rei veritate plurimum dubitare. Nec dici poteſt de facto conſtare: ſiue enim Reginonem Abbatem Prumienſem, Herman-

pag. 59. Notkerus Balbulus ſaith that, he conuerted all Rhetia, and part of Bauaria. if ſo, they had gread reaſon to preſerue his memory, and the British Church, on the account of king Lucius his conuerting their countrey hath as much right to challenge ſuperiority ouer Bauaria, and Rhetia, as the Church of Rome hath ouer the British Church on the account of the conuerſion of Lucius by Eleutherius.

mannum Contractum, Sigebertum Gemblacēſem, alioſque Hiſtoricos Germanicos: Siuè Galfridum Monemuthenſem, Mattheum Vveſtmonaſterienſem, alioſque Scriptores Anglos conſulamus: hi Lucium in Britannia mortuum ſcribunt: illi in Germania Euangelium prædicaſſe, ibique Martyrem obijſſe non referunt. Martyrologia quoque antiquiora ſi inſpicere velimus, ne verbum quidem in ijs de obitu Lucij in Germania reperiemus. Videri poteſt Venerabilis Beda, qui in Martyrologio ſuo nihil ad 3. Nouembris, aut alium quemcumq; diem hac de re habet. Vetuſtius quoque Occidentalis Eccleſiæ Martyrologium D. Hieronymo tributum, & nuper Lucæ editum, nullam Lucij in Germania ſepulti mentionem facit. Antiquum Martyrologium à Roſvveido poſt mortem Baronij editum nullibi Lucij Anglorum Regis tamquã Bauariæ, & Rhetiæ Apoſtoli meminit. Deſideratur etiam illius memoria in Martyrologijs Rhabani Mauri, Vſuardi, & Adonis Viennenſis, primuſq; mortalium, qui in Martyrologio de Lucij Apoſtolatu mentionē fecit, eſt Notkerus, qui tamen dubitauit, an Lucius Bauariæ & Rhetiæ Apoſtolus Rex Anglorum fuerit, vel alius vir Sanctus Lucij nomine inſignitus. *Siuè*, inquit ad 5. Kal. Iun., *Rex quondam ille, ſiuè quicumque ſeruus Dei fuerit.* Vt ipſius Notkeri temporibus hac de re dubitatum ſit in ipſa Germania, in qua Notkerus ſcripſit. Quod ſi Lucius Bauariæ Apoſtolus alius ſit ab Anglię Rege.

Notkerus in Martyrologio.

cor-

corruit, ni fallor, Auctoris nostri argumentum exindè pro Angliç super Bauariã auctoritate desumptum; quod ne quidem ab ipso vrgeri potuisset, licet de Lucij Regis per Bauariam, & Rhetiam prædicatione ipsi certò constitisset. Enimuerò primum probare deberet, Lucium auctoritate Britannicæ Ecclesiæ missum fuisse, suique Episcopatus originem Britannicç, & non Romanæ Ecclesiæ debere, quod numquam probabit, eademque facilitate negabitur, qua astruetur.

11. Pro maiori autem huius rei elucidatione notandum est, ad hoc, vt Prouincia aliqua certo Patriarchatui subijciatur, non requiri, vt eius Episcopi semper à Patriarcha ordinentur, sed sufficere, quod originem suam illi debeant, id est, quod primus istius Regionis Episcopus, à quo alij postmodum ordinati sunt, institutus fuerit à Patriarcha. Sic vidimus suprà, Aethiopiam Patriarchatui Alexandrino tempore Constantini Magni accessisse, quia vt narrat Ruffinus lib. 1. c. 9. *Frumentius à D. Athanasio primus istius Regni* Episcopus ordinatus fuit: ab illo enim tempore, licet Æthiopiæ Episcopi Alexandriam pro ordinatione non perrexerint, omnes tamen Patriarchç Alexandrino, cui Episcopatus originem debent, subiecti manserunt: sic quoque Nicolaus primus à Bulgaris rogatus respondit num. 73. *hunc esse ordinem obseruandum, vt à Sedis Apostolicæ Præsule sit nunc vobis Episcopus consecrandus, qui, si Christi plebs ipso præstante crescit, Archiepiscopatus*

Ruffinus lib. 1. cap. 9.

Nicolaus I. num. 73. epistolæ ad Bulgar.

E pri-

priuilegia per nos accipiat, & ita demum Episcopos sibi constituat, qui ei decedenti Successorem eligant: & propter longitudinem itineris non tam huc consecrandus, qui electus est, veniat: sed hunc Episcopi, qui ab obeunte Archiepiscopo consecrati sunt, simul congregati constituant: Sanè interim in throno non sedentem, & præter corpus Christi non consecrantem, priusquam pallium à Sede Romana percipiat, sicuti Galliarum omnes, & Germaniæ, & aliarum Regionum Archiepiscopi agere comprobantur. Agit hic Nicolaus primus de Bulgaris nouiter ad fidem conuertendis, quos Patriarchatui suo subiectos esse debere, pro comperto habuit. Non requisiuit autem perpetuam Bulgarorum Episcoporum ordinationem, sed primi dútaxat Archiepiscopi consecrationem sibi reseruauit, voluitque, successores pro Patriarchalis potestatis agnitione solum pallium à Sede Romana recipere debere, prout non solius Galliæ & Germaniæ, sed aliarum quoque Regionum Archiepiscopos facere tunc consueuisse, testatur. Inter Regiones vero illas etiam fuisse Britannias, fidem facit Venerabilis Beda lib. 1. Ecclesiast. Histor. Gentis Anglorum, cap. 29. vbi refert epistolam Gregorij Magni ad Augustinum Sedis Apostolicæ per Britannias Legatum, cui Sanctissimus ille Pontifex ordinationem Londonensis Archiepiscopi, & duodecim eius suffraganeorum commisit, sic tamen, vt *Londonensis Episcopus semper in posterum à Synodo propria debeat consecrari, atque honoris pallium à Sede Apostolica accipere.*

Gregorius Magnus epistola ad Augustinum Monachum.

pere. Eodem modo ſcribit inſtituendum Archiepiſcopum Eboracenſem, ſi quando Religio Catholica per Inſulam longius propagaretur, quod cum tēpore Honorij primi factum eſſet, rogatus ab Eduuino Anglorum Rege reſcripſit Pontifex: *Duo pallia vtrorumque Metropolitanorum, id eſt, Honorio, & Paulino direximus, vt dum quis eorum de hoc ſæculo ad Auctorem ſuum fuerit accerſitus, in loco ipſius alterum Epiſcopum ex hac noſtra auctoritate debeat ſubrogare: quod quidem tam pro Veſtræ Caritatis affectu, quam pro tantarum Prouinciarum ſpatio, quæ inter nos, & vos eſſe noſcuntur, ſumus inuitati concedere, vt in omnibus Deuotioni Veſtræ noſtrum concurſum, & iuxta veſtra deſideria præberemus* Ad quæ verba commentatur Venerabilis Beda cap. 18. ideò indultam fuiſſe vni Britannico Archiepiſcopo alterius conſecrationem. *Ne ſit neceſſe ad Romanam vſque Ciuitatem per tam prolixa terrarum, & maris ſpatia pro ordinando Archiepiſcopo ſemper fatigari.* Vt ſuffecerit ab iſtis temporibus, Pallij ſuſceptione Patriarchalem Romanæ ſedis auctoritatem agnoſcere: neque aliud requiſiuit Concilium Generale octauum ſtatuens Canone 17. iuxta verſionem Anaſtaſij Bibliothecarij, priſcam conſuetudinem in ſeniori, & noua Roma conſeruandam eſſe, *ita vt earum Præſules vniuerſorum Metropolitanorum, qui ab ipſis promouentur, & ſiuè per manus impoſitionem, ſiuè per pallij dationem, Epiſcopalis dignitatis firmitatem accipiunt, habeant poteſtatem, videlicet ad conuocandum eos, vrgente neceſ-*

Honorius I. epiſt. ad Edvvinū

Venerab. Beda.

Canone 17. Synodi generalis 8.

ſitate, ad Synodalem conuentum, vel etiam ad coercendum illos, & corrigendum, cum fama eos ſuper quibuſdam delictis forſitan accuſauerit. Iuxta quem Canonem Britanniæ Metropolitæ, qui Epiſcopalis dignitatis firmitatem per pallium à veteris Romæ Patriarcha accipiebant, eiuſdem poteſtati ſubiecti declarantur, idque ad mentem Patrum Nicænorum, qui Canone ſexto poteſtatem Patriarchalem in Romano Epiſcopo agnouerant: ita enim interpretata eſt Synodus octaua poteſtatem illam, vt pallij ſuſceptione agnoſci crediderit; vnde patet quod Auctor noſter, ſi Canonem Nicænum iuxta interpretationem Synodi Generalis octauæ intelligere velit, iam cauſa ceciderit, nihilque habeat, quod pro Britanniarum à Patriarchatus Romani exemptione adducere poſſit.

C A P V T III.

Britannicam Eccleſiam, licet à Romana inſtituta non eſſet, eidem tamen ex vetuſta conſuetudine, cuius initium ignoratur, ſubeſſe poſſe, exemplo Illyricanæ Eccleſiæ oſtenditur: quin etiam ſubeſſe debere, monſtratur.

1. *Eccleſiarum ſub Patriarchis diſtributio non ex ſola Epiſcoporum ordinatione ortū habet, ſed ex antiqua quoq; conſuetudiñe, cuius initium cum ignoratur, ab Apoſtolis prouenire creditur: vnde quamuis Innocentius Illyrici Eccleſias à Petro inſtitutas non fuiſſe commemoret, eas*

tamen Patriarchatui Romano subiectas fuisse, De Marca ostendit.

2. *Tempore De Marca Parisiensis Archiepiscopi nondum edita erant epistolę Romanorum Pontificum ad Episcopos Thessalonicenses, & Illyricanos datæ, quarum Legati Hadriani Secundi, & Nicolaus primus meminerunt, & quas post Marcæ obitum edidit Lucas Holstenius.*

3. *Ex ijs adferuntur testimonia Innocentij primi ad Anysium, Calestini primi ad Perigenem, Sixti III. ad eumdem, & Synodum Thessalonicensem, ex quibus manifestum fit, rectè Theodosium Echiniensem conclusisse pro Patriarchali Romani Episcopi super Illyricum potestate.*

4. *Ne autem quisquam ex prædictis testimonijs concluderet, Britannicas Ecclesias æquè ac Illyricanas Romano Patriarchatui subijci, contendit Author, ad occurrendum Constantinopolitano Episcopo, causam Perigenis vsurpanti, primum à Damaso Papa Thessalonicensem Episcopum statutum fuisse Sedis Apostolicæ per Illyricum Vicarium, & Damaso hac in re contradixisse Pausianum, Cyriacum, ac Calliopum Thessaliæ Episcopos, quos propterea Bonifacius damnauit.*

5. *Contra hæc ostenditur, aliam esse causam Perigenis, aliam Perreuij, & à Bonifacio excommunicatos fuisse tres supradictos Thessaliæ Episcopos, non quia causæ Perigenis, sed Perreuij legitimè ordinati obstiterant.*

6. *Perigenis causa alia est, potuitque ob illam controuersia oriri inter veteris, & nouæ Romæ Ecclesias, quod nouæ Romæ Episcopus illam ad se traxisset, & legem pro vsurpatione sua à Theodosio Imperatore obtinuisset.*

7. *Lex Theodosij non contra ius Patriarchale Romani Episcopi, sed contra Constantinopolitani vsurpationem edita fuit, & antiquum Ius Patriarchale Romanum in Illyricum supponit, quod & Bonifacius contra vsurpationem Constantinopolitani Episcopi vrgere non omisit.*

8. *Bonifacium contra Constantinopolitanæ Sedis vsurpationem nihil, nisi quod Canonibus consonum, & secundum antiquum ordinem erat, petiisse, patet ex epistola Honorij ad Theodosium, & firmatur ex rescripto Theodosij, quo allatum supra edictum suum reuocat.*

9. *Exemplo Illyrici probari potest, Britannias Patriarchatui Romano subesse, licet à Romano Pontifice primum institutæ non fuissent, nam præter institutionem Ecclesiarum est vetus consuetudo, cuius cum initium ignoratur, ab Apostolis prouenire creditur, quod Leonis primi testimonio comprobatur.*

10. *Huic Apostolico instituto nititur Britannica Ecclesiæ sub Patriarchatu Romano subiectio, quam Agatho Papa, centum quinque Occidentis Episcopi, omnesque totius Orientis Antistites in Synodo sexta pro indubitata habuerunt, quando Britannicas Synodos Romanæ Patriarchali subiacere admiserunt. Quod ante Agathonem significauit Iustinianus Imperator, dum Romanum Patriarcham toti Hesperiæ præfectum fuisse affirmat, & diu ante Iustinianum Synodus Arelatensis prima, vt sequenti Capite monstrabitur.*

1 OStendimus superiori capite, Anglicanam Ecclesiam ex iure institutionis pertinere ad Patriarchatum Romanum; hoc capite monstrã-

dum

dum eſt, eidem ſubiectam fore, licet à Sede Apoſtolica primum inſtituta non eſſet: ad cuius veritatis confirmationem obſeruandum eſt, non ſolum ex inſtitutione Eccleſiarum argumentum deſumi pro earumdem ſubiectione, ſed etiam ex antiqua Eccleſiarum conſuetudine, cuius initium cum ignoratur, ab Apoſtolico inſtituto prouenire creditur. Illyrici magna pars ad Fidem conuerſa fuit prædicante Doctore Gentium Paulo, ibidemque Eccleſias inſtituente, & Epiſcopos ordinante, vndè Prouincias Illyrici Innocentius non numerauit inter illas, quæ à Petro, aut Succeſſoribus eius inſtitutę fuerunt: non ideo tamen à Patriarchatus Romani iuriſdictione exempta fuit Illyricana Diœceſis. Ex ipſo enim Innocentio, qui Illyricum non nominauit inter Eccleſias à Sede Apoſtolica inſtitutas, Illyricanam Eccleſiam PatriarchatuiRomano ſubiectam fuiſſe, colligi poteſt: prout collegit Pariſienſium Archiepiſcopus de Marca libro 1. de concordia Sacerdotij & Imperij, cap.4. num.3. vbi relato teſtimonio Innocentij de inſtitutis per Occidentem à Sede Apoſtolica Eccleſijs: „ Sola deſunt, inquit, calculo noſtro Illyricanæ Diœceſeos Eccleſiæ, quarum hoc loco non meminit Innocentius. Certum eſt tamen, eas æquè ac cæteras Occidentis Prouincias Apoſtolicæ Sedis conſtitutis paruiſſe, eamq; Sedem, vt Eccleſiarum caput excoluiſſe. Nolo mihi fidem haberi. Dicat pro ſe ipſe Innocentius in ea epiſtola, quam ad Rufum Epiſcopũ Theſſalo-

De Marca.

,, ſalonicæ (quæ Illyrici Metropolis erat) & ad ,, cæteros Epiſcopos Macedoniæ dedit; cum eorũ ,, literis à Vitali Archidiacono delatis reſcriberet. ,, *Aduerti Sedi Apoſtolicæ, ad quam relatio tam-* ,, *quam ad caput Eccleſiarum miſſa currebat, ali-* ,, *quam fieri iniuriam, cuius adhuc in ambiguum* ,, *ſententia duceretur.* Quin & alio loco iure Pa- ,, triarchico vſus eſt Innocentius in retractando ,, Bubalij, & Tauriani Epiſcoporum Illyrici iudi- ,, cio, vt dubitandi nullus poſſit ſupereſſe locus, ,, quin per Illyricanam æquè ac per cæteras Occi- ,, dentis Diœceſes Pontificis Romani auctoritas ,, Patriarchica explicaretur. ,,

Innocentius epiſtola ad Rufum.

2 Scripſit de Marca ante 40. annos, quando nondum editæ erant aliæ Innocentij, plurimorumque Romanorum Pontificum de Romana Patriarchali in Illyricum poteſtate epiſtolę, quarum meminerunt Legati ab Hadriano II. Conſtantinopolim miſſi in Diſſertatione contra Vicarios Orientalium, contendentes Bulgariam ad Eccleſiæ Romanę ordinationem non pertinere: *Sedes Apoſtolica*, inquiunt, *iuxta quod Decretalibus Sanctiſſimorum Romanorum Præſulum doceri poteritis, vtramque Epirum, nouam videlicet veteremque, totamque Theſſaliam, atq; Dardaniam, in qua, & Dardaniæ Ciuitas hodiè demonſtratur, cuius nunc patria ab his Bulgaris Bulgaria nuncupatur, antiquitus Canonicè ordinauit, & obtinuit.* Romanos Pontifices, quorum hic tacito nomine mentionem faciunt Legati ab Hadriano II. Conſtãtino-

Apud Anaſtaſiũ Biblioth. Legati Adriani II.

tinopolim missi, nominatim refert Nicolaus primus epist. 2. ad Michaelem Imperatorem scribens de Illyricana Diœcesi: *Quæ Antecessorum nostrorum temporibus, scilicet Damasi, Siricij, Innocentij, Bonifacij, Cælestini, Sixti, Leonis, Hilarij, Simplicij, Felicis, atque Hormisdæ Sanctorum Pontificum sacris dispositionibus augebatur. Quorum denique institutiones ab eis illis in partibus destinatas per nostros missos, vt rei veritatem cognoscere queatis, vestræ Augustali potentiæ dirigere curauimus.* Atque horum Pontificum Decretales epistolę, quæ Hadriani II. & Nicolai I. temporibus adhuc extabant, sunt illę, quas de Marca non vidit, quosque viri docti ipsius temporibus magno eruditionis Ecclesiasticæ detrimento deperditas lugebant, ipsaque sedes Apostolica amplius proferre non poterat: quod nimirum Decretales illas, quas in scrinijs suis olim asseruauerat, vel incendio consumptas, vel hostium irruptione dilaceratas, vel temporum iniuria deperditas amiserat. Quare illas, si alicubi latitabant, aliunde desumere debebant, prout reuerà desumpsit ante 30. fermè annos Lucas Holstenius, qui euolutis variarum Regionum codicibus M.SS. reperit acta Synodi Romanæ sub Bonifacio Secundo, in quibus refertur, quod Theodosius Ecchiniensis Ciuitatis Episcopus adduxerit complures prædictorum Pontificum epistolas, quæ Romanam Patriarchalem per Illyricum potestatem manifestè demonstrant.

Nicolaus primus epist. 2. ad Michaelem Imperatorem.

3 Omitto Damasi, ac Siricij epistolas, & à literis

ris Innocentij primi, cuius suprà meminimus, initium sumo, cum inter eas extet apud Holstenium ordine quarta, in qua Prædecessorum suorum his verbis mentionem facit; *Tibi*, inquit ad Anysium Thessalonicensem Sedis Apostolicę per Illyricū Vicarium, *anteriores tanti ac tales viri Prædecessores mei Episcopi, id est, S. memoriæ Damasus, Siricius, atque supra memoratus vir* (Anastasius nimirum) *ita detulerunt, vt omnia, quæ in illis partibus gererentur, Sanctitati tuæ, quæ plena iustitiæ, traderent cognoscenda, meam quoque paruitatem hoc tenere iudicium, eamdemque habere voluntatem, te decet recognoscere.* Eadem cōfirmat Innocentius epistola ad Rufum Anysij successorem, eadem Cælestinus Perigeni, Reynato, Basilio, alijsque per Illyricum Episcopis, scribens, se nihil noui statuere: *Nec noua hæc*, inquit, *Sedis Apostolicæ cura de vobis est, statutum nostris sæpius experimentum hoc, quod nos agimus: Thessalonicensi Ecclesiæ semper esse commissum, vt vobis vigilanter intendat.* & infra: *Sunt culpæ aliquantæ, non leues, quæ illis innatæ Prouincijs ad nos, cum simus longius, non possunt peruenire, aut iam semotis omnibus, non ita, vt sunt acta interposito temporis spatio perferuntur: quas omnes nos intercessione fratris ac Coepiscopi nostri Rufi, cuius experientiam comprobatam esse in causis omnibus, & vitæ actibus liquet, volumus resecari. Cui vicem nostram per vestram Prouinciam noueritis esse commissam, ita vt ad eum, Fratres carissimi, quidquid de causis agitur, referatur, sine eius consilio*

Innocentius primus epistola inter Holstenianas 4.

Cælestinus primus epistola 13. inter Holsten.

nullus ordinetur, nullus vsurpet eodem inconscio commissam illi Prouinciam, colligere nisi cum eius voluntate Episcopos non præsumant: per eum etiam ad nos, si quid est, referatur. Hæc ipsa Anastasio Rufi successori confirmat Sixtus Tertius epistola ad Perigenem, in qua testatur, se scire, nihil nouum illi fuisse concessum, *Sed id*, inquit, *quod eius Decessoribus nostri Decessores detulerant, habita consideratione disciplinæ Ecclesiasticæ constitutum*: & in epistola ad Synodum Thessalonicensem illa quoque confirmat, vti in epistola ad vniuersos Episcopos per Illyricum constitutos, vbi: *Illyricanæ omnes Ecclesiæ, vt à Decessoribus nostris accepimus, & nos quoque fecimus, ad curam nunc pertinent Thessalonicensis Antistitis, vt sua sollicitudine, quæ inter fratres nascuntur, vt assolent, actiones distinguat, atque definiat, & ad eum, quidquid à singulis Sacerdotibus agitur, referatur. Sit Concilium, quotiens causæ fuerint, quotiens ille pro necessitatũ emergentium ratione decreuerit: vt meritò Sedes Apostolica relatione eius instructa, quæ fuerint acta, confirmet.* Atque hæc, ni fallor, demonstrant, quod Theodosius Ecchiniensis in Synodo Romana coram Bonifacio Papa rectè professus sit, *constare, venerandos sedis Romanæ Pontifices, quamuis in toto mundo Sedes Apostolica Ecclesiarum sibi iure vindicet Principatum, & solam Ecclesiasticis causis vndique appellare necesse sit, specialiter tamen gubernationi suæ Illyrici Ecclesias vindicasse.*

Sixtus III. epist. ad Perigenem inter Holsten.

Eiusdem ad Episcopos Illyrici inter Holst. epistola 17.

Synodus Romana sub Bonifacio

4. Ex testimonijs supradictis manifestius fit, vt

puto,

puto, Illyricum Romano Patriarchatui ſubfuiſſe, quàm vt à quoquam negari poſſit: cum autem Illyricanæ Eccleſiæ primã inſtitutionem non habuerint à Petro eiuſque Succeſſoribus, poſſet exinde quiuis deducere, minimè neceſſarium eſſe, quod Britãnicę Eccleſię à Petro eiuſuè ſucceſſoribus inſtitutæ ſint, ad hoc vt Romano Patriarchatui ſubiectę dicantur. Hæc autem præuidens Auctor noſter, Decretalium ſupradictorum teſtimonia, quæ negare non potuit, oppugnare ſtatuit, aſſerens, Romanos Epiſcopos, qui Decretales illas epiſtolas ſcripſerunt, innouationis & vſurpatæ Metropolitanorum Iuriſdictionis reos eſſe: Audienda ſunt illius commenta, cum enim erroribus ſcateant, in medium adferenda ſunt, vt confutentur. Scribit itaque de Vicaria Romani Patriarchæ per Illyricum poteſtate in ſupradictis Decretalibus Epiſcopo Theſſalonicenſi tributa: „ Leo in epiſtola ad Anaſtaſiũ non „ altius deducit hanc auctoritatẽ, quam à Siricio, „ qui illam impertiuit Anyſio Epiſcopo Theſſalo- „ nicæ, *certa tum primum ratione commiſit, vt per* „ *illam Prouinciam poſitis, quas ad diſciplinam tene-* „ *ri voluit, Eccleſijs ſubueniret.* Siricius immedia- „ te ſucceſſit Damaſo, qui obijt ſecundum Hol- „ ſtenium 11. Decemb. ann. 384. triennio poſtquã „ Synodus Conſtantinopolitana euexiſſet illam ſe- „ dem ad dignitatem Patriarchalem, quod Epi- „ ſcopis Romanis magnam æmulationis & ſuſpi- „ cionis anſam præbuit, eo quod Conſtantinopo-

pag. 115. Leo himſelf in his epiſtle to Anaſtaſius, deriues this authority no higher than from Siricius, Who gaue it tho Anyſius Biſhop of Theſſalonica: *certa tum &c* Siricius immediately ſucceeded Damaſus, who died according to Holſtenius 11. Dec. 384 three years after the council of Conſtantinople had aduanced that ſee to the Patriarchal digni-

 „ lis

,, lis æquè esset Ciuitas Imperialis, ac Roma. Ad-
,, uertit etiam Socrates, à tempore Nectarij Epi-
,, scopum Constantinopolitanum habuisse guber-
,, nationem Constantinopoleos, & Thraciæ, eam-
,, que spectasse ad suam sortem, vnde Episcopi
,, Romani tunc existimauerunt, tempus esse in-
,, uigilandi rebus suis, & dilatandi Iurisdictionem,
,, quando quidem Episcopus nouæ Romæ tam
,, amplam accessionem acquisierat per illud Con-
,, cilium. Ad impediendum vero inuasiones maio-
,, res versus Occidentem, cum Diœcesis Thracia
,, Macedoniæ contermina esset, non poterant Ro-
,, mani excogitare subtilius artificium ad tuendam
,, istam Prouinciam, & dilatandam suam aucto-
,, ritatem, quam persuadere Episcopo Thessalo-
,, nicæ, vt ageret vigore commissionis ab Episco-
,, po Romano concessæ, ita vt gauderet omnibus
,, priuilegijs, quæ habebat anteà. Et cum haberet
,, tantam sedem sibi adstipulantem, poterat se me-
,, lius vicini Episcopi Constantinopolitani poten-
,, tiæ opponere: & si quisquam obiecisset, illud
,, esse cõtra Canones Statutos in Synodo Nicæna,
,, habebant Romani & Thessalonicenses Episcopi
,, in promptu responsum, Constantinopolitanum
,, primitus incepisse, & sui ipsorum interesse, ne
,, iura aliarum Ecclesiarum ab illo inuadantur.
,, Qua arte conati sunt trahere Ecclesias contermi-
,, nas Diœcesi Thraciæ, vt se subijcerent Episco-
,, po Romano, tanquam suo Patriarchæ. Quod
,, adeo

ty: vvhich gaue great occasiõ of iealousie and suspicion to the bishops of Rome, that Being the Imperial City as vvell as Rome; and Socrates obserues, that from that time Nectarius the Bishop of Constantinople, had the gouernment of Constantinople and thrace, as falling to his share. this made the bishops of Rome think it high time to look about them, and to Inlarge their iurisdiction, since the bishop of nevv Rome had gained so large an accession by that Council; and to preuent his farther Incroachmens Vvestvvards, his Diocese of thrace bordering vpon Macedonia, the subtilest Deuice they could think of, to secure that Prouince and to inlarge their ovvn authority, vvas, to persuade the bishop of Thessalonica to act as by commission from the bishop of Rome: so that he should enioy the same priuileges vvhich he had before. And being back'd by so great an interest, he vvould be better able to contest vvith so povverfull a

,, adeo longè aberat à concilianda quiete, quam
,, multi sperabant, vt illos implicuerit perpe-
,, tuis molestijs, sicut constat ex collectione Hol-
,, stenij. Nec enim neglexerunt Constantinopo-
,, litani promouere suam auctoritatem in Prouin-
,, cijs Illyrici, aut occurrere innouationibus Episco-
,, scopi Romani. In quem finem obtinuerunt Im-
,, periale edictum, quod etiam nunc extat in vtro-
,, que codice, quo strictè prohibetur quæcumque
,, innouatio in Prouincijs Illyrici, & declaratur:
,, *si quis casus dubius contingat, secundum antiquam*
,, *consuetudinem, & Canones relinquatur Synodo*
,, *Prouinciali, sed non sine consilio Episcopi Constan-*
,, *tinopolitani*. Occasio fuit Perigenes, qui reie-
,, ctus à Patrensibus introductus fuit ab Episcopo
,, Romano in Sedem Corinthiacam sine consen-
,, su Synodi Prouincialis. Hoc Episcopi Thessa-
,, liæ, quorum præcipui erant *Pausianus*, *Cyriacus*,
,, & *Calliopus*, notarant tanquam notoriam inua-
,, sionem suorum Iurium, & proindè consentien-
,, te Synodo Prouinciali alium collocauerunt in
,, ea Sede: qui modus agendi grauiter fuit excep-
,, tus Romæ, vt videre est ex epistolis Bonifacij
,, tam ad Rufum Thessalonicæ, quem suum con-
,, stituerat Legatum, quam ad Episcopos Thessaliæ,
,, & aliarum Prouinciarum. Illi verò accurrerunt
,, ad Constantinopolitanum, qui curauit istam le-
,, gem ferri in fauorem antiquarum Synodorum
,, Prouincialium ad occurrendum vsurpationibus

,, Pa-

Neighbour as the bishop of Constantinople; and if any obiected, that this vvas to break the Rules Settled by the council of Nice, they had that Ansvver ready, that the bishop of Constantinople began: and their concernment vvas, to Secure the Rights of other Churches from being inuaded by him. by Vvich means they endeauour'd to dravv those Churches bordering on the Thracian Diocese, first to ovvo a submission to the bishop of Rome as their Patriarche: vvhich yet vvas so far from giuing them ease, vvhich some it may be expected by it, that it onely inuolued them in continual troubles, as appears by that very collection of Holstenius. For the bishops of Constantinople vvere not negligent in promoting their ovvn authority in the Prouinces of Illyricum, nor in Vvithstanding the innouations of the bishop of Rome, to vvhich purpose they obtained an Imperial edict to this day extant in both codes, vvhich strictly

forbids any innouation in the Prouinces of Illyricum, and declares that &c. the occasion whereof was this, Perigenes being rejected at Patre the bishop of Rome takes vpon him to put him into Corinth, without the consent of the prouincial Synod: this the bishops of Thessaly, among vvhom the chief vvere, Pausianus, Cyriacus, and Calliopus, look upon as a notorious inuasion of their rights: and therefore in a prouincial Synod they appoint another person to succeed there. Which proceeding of theirs is heinously taken at Rome &c.

„ Papæ, sic tamen vt liceret vltimo recurrere ad
„ suum Tribunal Constantinopoli erectum. Hoc
„ pupugit Bonifacium, vt videre est ex illius epi-
„ stola ad Rufum, qua illi animos addit, vt forti-
„ ter se opponat, datque eidem auctoritatem ex-
„ communicandi illos Episcopos, & deponendi
„ Maximum, quem consecrauerant secundum an-
„ tiquos Canones. Totum autem artificium hu-
„ ius causæ tendebat ad conijciendum culpam in
„ ambitionem Episcopi Constantinopolitani. Hac
„ ratione contentio inter duos Episcopos Ciuita-
„ tum Imperialium euertit antiquam Politiam
„ Ecclesiæ Canonibus Nicænis statutam.

5. Huc vsque Auctor noster, nonnulla contra fidem Decretalium epistolarum, quas allegat, astruens, alia verò sine vllo antiquorum testimonio contra veritatem explicans. Ne autem hæc à nobis gratis asseri videantur, rebus ipsis comprobanda sunt; vtque ab ijs incipiam, quæ contra fidem Decretalium epistolarum astruit, vbinam quæso reperit, Perigenis Corinthiorum Metropolitani electioni *restitisse Episcopos Thessaliæ, quorum præcipui erant Pausianus, Cyriacus, & Calliopus*? vbinam legit, eos Perigenis intronizationem instar notoriæ inuasionis habuisse, & Maximũ in eius locum legitimè ac secundum Canones collocasse? indicat Auctor, se illa inuenisse in epistola Bonifacij ad Rufum: locum itaque adferamus ex ipsa epistola, quæ inter Holstenianas est ordine octaua, in qua scribit Bo-

Bonifacius ad Rufum Theſſalonicenſem : *Perreuij Coepiſcopi noſtri negotium,cuius nobis libellus ab eodem deſtinatus fecit indicium, cui conſacerdotes ſui moleſti nimis eſſe dicuntur, ita vt eum Eccleſia ſua crederent eſſe pellendum, diligenter audire tuam volumus charitatem conuentis ſupradictis Coepiſcopis noſtris, quorum ſe vim ſuſtinere deplorat. Tunc demum, vt intelligant, ſi quid à ſe factum eſt, contra conſuetudinem prius eſſe caſſandum, omnibus veſtigatis ad nos tua Caritas referre maturet,quatenus probatum à tua Fraternitate iudicium ſententia noſtra valeat roborari. Sanè in epiſtola Theſſalis fratribus deſtinata id à nobis ſcriptum volumus recognoſcas, Pauſianum, Cyriacum, atque Calliopum à noſtra Communione penitus ſummouendos, ita vt remedium ſolum interuentionis tuæ gratiam ſe habere cognoſcant. Maximum autem, quem malè tua charitas retulit ordinatum, in totum Sacerdotij cenſemus honore priuandum.* Hæc ex Bonifacij Epiſtola, cuius meminit Auctor, neque vlla alia extat, in qua Pauſiani, Cyriaci, Calliopi, & Maximi Bonifacius mentionem facit. Nullibi autem Bonifacius hic innuit, in locum Perigenis ſecundum antiquos Canones à Pauſiano, Cyriaco, & Calliopo Theſſaliæ Prouinciæ Epiſcopis electum fuiſſe Maximum, idq;ſi Auctor noſter antiquorum Canonum notitiam habuiſſet, ſubol facere potuiſſet. Quid enim tribus ſupradictis Theſſaliæ Prouinciæ Epiſcopis cum Perigene Achaiæ Prouinciæ Metropolitano? Num forſan auctoritas ſubſtituendi in locũ Perigenis alium

Bonifacius epiſt. inter Holſten. 5. ad Rufum.

Epi-

Epiſcopum, quam Auctor Romano Pontifici eiuſque per Illyricum Vicario abiudicat, ſecundum Canones tribus Theſſaliȩ Epiſcopis competebat? Nonne Canones ſtatuunt, vnius Prouinciæ Epiſcopis in alterius Prouinciæ Metropolitam nullum ius competere? Quod ſi id Canones ſtatuant, vt ſtatuere certum eſt, qua ratione Auctor Bonifacio primo tranſgreſſionem Canonum in cauſa Perigeni affingit, qui de cauſa Perigenis, cum trium Theſſaliæ Epiſcoporum meminit, ne quidem ſomniauit. Atqui hic eſt error Auctoris grauiſſimus, qui loco Perreuij Perigenem legit. Non agit Bonifacius loco citato de Perigene Achaiæ Metropolitano, in quē nullum ius quoad ordinationem, vel conſecrationē Theſſaliȩ Epiſcopis competebat, ſed de *Perreuio*, quem Lucas Holſtenius in notis ad hanc epiſtolam τῶν θεσσαλικῶν Σαλτῶν Epiſcopum fuiſſe, ex ſubſcriptionibus Concilij Epheſini collegit: Ego verò ad Theſſaliæ Prouinciam ſpectaſſe, ex actis ipſis comprobo. Cum enim Perreuius legitimè electus, & debitè ordinatus ſupponatur, ſolumque ob cōficta quædam crimina per Theſſaliæ Prouinciæ Coepiſcopos depoſitus fuiſſe credatur, ad illorum Prouinciam ſpectaſſe exiſtimo, qui de eo iudicium tulerunt, à quo tamen Perreuius ad Sedem Apoſtolicam appellauit: huius appellationis momenta Bonifacius Rufo Theſſalonicenſi ſuo per Illyricum Vicario peruoluenda commiſit, quibus ab eo debitè examinatis, & Romam miſſis, Bonifacius Pontifex Perreuium ſedi ſuȩ reſti-

Lucas Holſtenius in notis.

Bonifacius epiſtola ſupra citata.

ſtituēdum, treſque Epiſcopos ſupra nominatos,qui Perreuium depoſuerant, excommunicandos duxit: ſicque authoritate, quæ ipſi in Illyricum competebat, vſus fuit, cunctaque Auctoris noſtri figmenta, antequam nata eſſent, poteſtatis ſuæ exercitio euertit.

6. Nunc cauſam Perigenis elucidemus, circa quam Auctor noſter vera falſis miſcet, & plura ſine vllo antiquorum teſtimonio contra veritatem explicat. Verum quidem eſt,anno 352. Nectarium in Synodo ſecunda Generali Canone 3. obtinuiſſe, vt Conſtantinopolitana Eccleſia, quæ olim ſuffraganea fuerat, priores honoris partes poſt Romanam haberet, eo quod tranſlato per Conſtantinum in illam Vrbem throno Imperiali Sedes nouæ Romæ euaſerat. Verum quoque eſt, ex hoc Canone illegitimè ſtatuto Conſtantinopolitanos Epiſcopos paulatim iuriſdictionis ſuæ limites dilataſſe,& abſorptis tribus Thraciæ, Ponti,& Aſiæ Exarchatibus cauſas Illyrici Orientalis, quod tum ab Illyrico Occidentali diuiſum erat,ad ſe trahere cæpiſſe. Verum denique ſit, quod ad occurrendum Epiſcopi Conſtantinopolitani vſurpationibus primum à Damaſo Papa Epiſcopus Theſſalonicenſis conſtitutus fuerit Sedis Apoſtolicæ per Illyricum Vicarius: negari tamen nequit, quin cauſam Perigenis Epiſcopus Conſtantinopolitanus ad tribunal ſuum traxerit, & hinc controuerſia orta ſit inter Romanos Pontifices, & Epiſcopos Conſtantinopolitanos, illiuſque occaſio-

ne circumuentus ab Episcopo Constantinopolitano Theodosius Iunior, Arcadij Successor, anno 421. legem ediderit, quæ in Codice Theodosiano lib. 16. leg. 45. tit. de Episcopis, & in Codice Iustiniano lib. 1. tit. 2. de Sacrosanctis Ecclesijs, lege 6. his verbis exhibetur: *omni innouatione cessante vetustatem, & Canones pristinos Ecclesiasticos, qui nunc vsque tenuerunt, per omnes Illyrici Prouincias seruari præcipimus: tum si quid dubietatis emerserit, id oporteat non absque scientia Viri Reuerentissimi Sacrosanctæ legis Antistitis Vrbis Constantinopolitanæ, quæ Romæ veteris prærogatiua lætatur, Conuentui Sacerdotali, sanctoque iudicio reseruari. Dat. prid. Idus* Iulij; *Eustathio & Agricola Coss.*

Lex Theodosij Iunioris.

7. Atque hactenus illa, quę vera sunt, adduximus, nunc falsa, quæ Auctor veris miscuit, adferamus. Ac primo quidem falsum est, legem supradictam contra inuasionem Romani Pontificis constitutam fuisse: neque enim contra Romani Pontificis inuasionem, sed pro iuuanda illicita Constantinopolitani Episcopi vsurpatione edita fuit. Non agebatur hic de Synodorum Prouincialium authoritate in determinandis causis certis & indubitatis, sed agebatur de casibus dubijs, sicut erat casus Perigenis, qui à Synodo determinari non poterat sine iudicio Patriarchæ. Hæc autem Patriarchalis supra Illyricum potestas non controuertebatur tempore Perigenis, sed sola Quæstio mota erat, ad quem Patriarcham spectaret. Illyricum vsque ad tem-

tempora Valentiniani Secundi ad Occidentem ſpectauerat: poſt mortem vero Valentiniani partito inter Arcadium, & Honorium Imperio, Illyricum in Occidentale & Orientale diuiſum fuit, & Orientale Arcadio Orientis Imperatori ceſſit; vnde Epiſcopus Conſtantinopolitanus Theodoſio Arcadij filio, vt erat natura facilis, perſuaſit, vt Eccleſias Illyrici Orientalis Sedi Conſtantinopolitanæ ſubijceret, quod lege data ita effecit Theodoſius, vt monſtraret, nullam de Patriarchali ſupra Illyricum poteſtate quæſtionem fuiſse, ſed ſolum difficultatem motam, ad quamnam ex duabus, Conſtantinopolitanam nimirum, aut Romanam in poſterum ſpectaret. Notanda ſunt Theodoſij verba: *tum ſi quid dubietatis emerſerit, id oporteat non abſque ſcientia Viri Reuerentiſſimi Sacroſanctæ Legis Antiſtitis Vrbis Conſtantinopolitanæ, quæ Romæ veteris prærogatiua lætatur, conuentui Sacerdotali ſanctoque iudicio reſeruari.* Audis, Conſtantinopolitano ſeu nouæ Romæ Epiſcopo eatenus iudicium in rebus dubijs tribui, quatenus *Romæ veteris prærogatiua lætabatur*. Antequam itaque prærogatiua ad Sedem Conſtantinopolitanam translata eſset, Roma vetus prærogatiua ſuperioritatis in Illyricum gaudebat. Et hæc eſt auctoritas, qua Sedem Romanam priuari non potuiſse Romani Pontifices contenderunt, vnde Bonifacius primus ad Rufum Theſſalonicenſem: auctoritatem Sedis Romanæ *minorem facere noua, quæ vires habere non poſſunt, tentamenta non debent*. Et

Theodoſius Imperator.

Bonifacius epiſt. ad Rufum. inter Holſten. 8.

contra illos, qui ad Constantinopolitanum Episcopum de rebus Illyrici referebant: *Violatores Canonum*, inquit, *atque Ecclesiastici Iuris inimicos, Deo auctore compescet, qui talium mentium semper vota frustratur. In cæteros etiam contumaces ius concessæ potestatis exerce. Nullum etenim locum vides à nobis otiosum relictum.* Quæ vltima verba adiunxit Bonifacius, quia non solum auctoritate Apostolica, sed opera quoque Honorij Occidentalis Imperatoris vsus erat, vt legis reuocationem à Theodosio obtineret.

8. Extat sanè apud Lucam Holstenium exemplar epistolæ Honorij ad Theodosium Augustum, qua scribit hac de causa: *procul dubio illius Vrbis Ecclesia Speciali nobis cultu veneranda est, ex qua & Romanum Principatum accepimus, & principium Sacerdotium. Siquidem nihil aliud à pietate nostra postulauerit missa Legatio, nisi quod Catholicæ fidei, Disciplinæ, & æquitati concordet: petit enim, vt hæc priuilegia, quæ dudum à patribus constituta vsque ad tempora nostra seruata sunt, inconcussa perdurent.* & infra: *Vnde Maiestas tua recensitis nostræ pietatis affatibus Christianitatis memor, quam pectoribus nostris misericordia cælestis infundit, vniuersis remotis, quæ diuersorum Episcoporum subreptionibus per Illyricum impetrari dicuntur, antiquum ordinem præcipiat custodiri. Ne sub Principibus Christianis Romana perdat Ecclesia, quod alijs Imperatoribus non amisit.* Ex his clarum est, nihil contra Canones, nihil contra antiquum

Honorij epist. ad Theodosium.

or-

ordinem à Bonifacio Romano Pontifice petitum fuiſſe, dum Patriarchalem ſupra Illyricum poteſtatem ſibi reſtitui rogauit; id autem non ſolum Honorius Occidentis Imperator, ſed Theodoſius quoque Orientis Auguſtus agnouit, vt patet ex eiuſdem reſcripto, quo legem ſuam reuocauit his verbis: *omni ſupplicantium Epiſcoporum per Illyricum ſubreptione remota ſtatuimus obſeruari, quod priſca Apoſtolica Diſciplina & Canones veteres eloquuntur. Super quà re ſecundum formam oraculi Perennitatis tuæ ad Viros illuſtres Præfectos Prætorij Illyrici noſtri ſcripta porreximus, vt ceſſantibus Epiſcoporum ſubreptionibus antiquum ordinem ſpecialiter faciant cuſtodiri: ne venerabilis Eccleſia Sanctiſſima Vrbis priuilegia à veteribus conſtituta amittat, quæ perenne nobis ſui nominis conſecrauit Imperium.* Notanda ſunt Theodoſij verba, quibus *omni ſupplicantium Epiſcoporum per Illyricum ſubreptione remota ſtatuit obſeruari, quod priſca Apoſtolica Diſciplina & Canones veteres eloquuntur.* Agebatur de poteſtate Patriarchali, quam Romano Epiſcopo ex priſca Apoſtolica Diſciplina veterum Canonum Statutis firmata competere tandem agnouit Theodoſius, vt appareat falſum eſſe, quod poſt ſcriptorem noſtrum Anglum Orbi obtrudere conatus fuit auctor libri de Diſciplina Eccleſiæ, Innocentium Primum alioſque Pontifices poteſtatem Patriarchalem in Illyricum, quam antea non habebant, inſtitutione Vicariatus Theſſalonicenſis habere tentaſſe. Quod hæc dicta ſint ab homine à Ro-

Theodoſij Reſcriptum.

Diſſ. 1 §. 11. pag. 39.

Romanæ Ecclesiæ communione auulso, non adeò mirum videri debet, cum aliquid indulgendum sit turbati animi præoccupationibus: sed quod illa effutire ausus sit homo, qui communionem Sedis Apostolicæ profiteri se dicit, nesciò, qua ratione factum sit, cum non erubuerit affirmare, quæ ego sine rubore vix potui referre.

9. Quod si Ecclesiæ Illyricanæ à Paulo Apostolo institutæ ad Patriarchatum Romanum spectarint, quid obest, quo minus Britanniarum Ecclesiæ Romano Patriarchatui subsint, licet non à Petro, sed (vt totis viribus Auctor noster Anglus contendit) à Paulo primum institutæ fuerint. Adscribit Patriarchatuum institutionem antiquæ consuetudini, cuius meminit Sacrosanctum Nicęnum Concilium Canone sexto, iubens *antiquam* de ea *consuetudinem* in Ægypto conseruari, *quia Episcopo Romano parilis mos est.* Sed num antiqua illa consuetudo, & veteres illi Ecclesiæ mores fungorum instar nati sunt, aut sine vlla ratione obtinuerunt? Ante Concilij Nicęni tempora non scriptis Canonibus, sed traditione & consuetudine tenebatur vniuersa Ecclesia. Traditio autem & consuetudo, cuius initium ignorabatur, iuxta regulam Magni Augustini ab ipsis Apostolis profecta credebatur, vt eorum institutioni tribuenda sit antiqua illa Patriarchatuum erectio, quorum aliud initium non reperitur. Egit de Ecclesiarum institutione Leo Magnus epistola ad Anastasium Thessalonicensem, aitque: *Apostolica discretione* prouisum

Canon. 6. Nicænus.

D. Augustinus lib. 5. contra Donatistas cap. 24. & alibi.

uisum fuisse, *vt in singulis Prouincijs singuli constituerentur, qui inter Prouinciæ Episcopos primam sententiam haberent*. Sed qui ordinem Prouinciarum tam accuratè secuti sunt Apostoli, maiorum Diœcesium nullam rationem habuisse, quis credet? cum *Apostolica discretione prouisum esset*, inquit Leo epist. 54., *vt in singulis Prouincijs singuli constituerẽtur, qui inter Prouinciæ Episcopos primam sententiam haberent, rursus quidam in maioribus Vrbibus constituti fuerunt, qui sollicitudinem susciperent maiorem, per quos ad vnam Petri Sedem vniuersalis Ecclesiæ cura conflueret, & nihil vsquam à suo Capite dissideret*. Hæ fuerunt rationes, quibus Cathedra Antiochena totius Orientis, & Sedes Alexandrina totius Ægypti Patriarchales euaserunt. Et his quoque rationibus in Vrbe Roma Patriarchalis Cathedra erecta fuit, ad cuius curam occidentis Ecclesiæ speciali iure spectarent.

Leo primus ep. 54. ad Anastasiũ Thessalonicen.

10. Huic Apostolico instituto nititur Britannicæ Ecclesiæ sub Patriarcha Romano distributio, & huic fundamento nixus Agatho Papa, Britannorum Episcopos inter eos numerat, qui ad Patriarchatus Romani Concilium spectant. Præclarum est hac de re non solum Agathonis, sed & centum viginti Occidentalium Episcoporum testimonium, quod in Synodica ad Concilium Generale sextum epistola legitur, quæ his verbis inscribitur. *Agatho Episcopus Seruorum Dei cum vniuersis Synodis subiacentibus Concilio Apostolicæ Sedis*. Et in ipsa epistola Synodi Concilio Romano subiacentes dicun-

Synodica Romana Agathonis Papæ.

cuntur constitisse ex Episcopis Occidentalibus, quorum *multitudo vsque ad Oceani regiones extenditur*, *Longobardorum* nimirum, *Sclauorum*, *Francorum*, *Gallorum, atque Britannorum*. Clarius, vt puto, exprimi non potuit ab Agathone Papa & centum viginti Occidentalibus Episcopis, quod Brittannicæ Ecclesiæ Romano Episcopo vt Occidentis Patriarchæ subiaceant. Neque manifestius hanc veritatem confirmare potuerunt totius Orientis Episcopi Constantinopoli collecti, quam supradictam Agathonis epistolam probando, actisque suis Synodicis inserendo. Miserũt eam Occidentales Episcopi, & quod caput est, suam fecerunt Britannici, dum eidem subscripserunt. Eam verò omnes Orientales in Synodo Generali sexta probarunt, dum Actis suis inseruerũt, vt dici possit, quod omnes, huic epistolæ contradicentes, Occidentalium & Orientalium Episcoporum iudicio resistant, & quod Angli, dum eius auctoritatem negant, à Maiorum suorum sententia deflectere, & supra Patres suos sapere velint. Neque refert, quod Agathonis epistola post Augustini in Britannias aduentum scripta fuerit: nihil enim in epistola illa innouatur, sed antiqui Ecclesiæ mores seruantur, iuxtà quos ante Agathonem Iustinianus Imperator Patriarcham Romanum toti Occidenti, adeoque & Britannijs, præfuisse significarat, vt patet ex Nouella eius 109, in qua quinque Patriarchatuum mentionem faciens solum Romanum Occidentalem, cæteros Orientales fuisse

se

ſe commemorat: *totius Orbis Terrarum Patriarchæ*, inquit, *ſcilicet Heſperiæ, & Romæ, & huius Regiæ Ciuitatis, & Alexandriæ, & Theopoleos, & Ieroſolymorum, & omnes, qui ſub eis conſtituti ſunt, Sanctiſſimi Epiſcopi Apoſtolicam prædicant fidem, atque traditionem.* Totus terrarum Orbis à Iuſtiniano in quinque Patriarchatus diuiditur, quorum quatuor varijs Orientis Diœceſibus, vnus Romanus Heſperiæ, hoc eſt, Occidentis Diœceſibus, earumque ſanctiſſimis Epiſcopis præſidere dicitur: vt Britanniarum Epiſcopi, qui in vna ex Occidentalibus Diœceſibus conſtituti erant, ad Heſperiæ ſiue Occidentis Patriarchatû pertinuerint, prout quoque diù ante Iuſtinianum Synodus Arelatenſis prima poſteritati conſecrauit, vt capite ſequenti videbimus. Iuſtinianus Imperator.

CAPVT IV.

De Maioribus Diœceſibus à Concilio Arelatenſi Sylueſtro Papa tributis.

1. *Patres Arelatenſes Anno 314. non ſolum Canonem primum de Paſchate, ſed alios quoque omnes ad Sylueſtrum retulerunt, quem Maiores Diœceſes, non verò, vt Auctor voluit, maiorem Diœceſim, tenere ſcripſerunt.*

2. *Diœceſis, olim ſignificauit plurium Prouinciarum Tractum ſub vnius adminiſtratione, vt oſtenditur ex notitia Imperij ante Honorij, Arcadijque tempora conſcripta; vnde quando Patres Arelatenſes Sylueſtrum maiores Diœceſes tenere ſcripſerunt, eum Occidentis Diœceſibus præfuiſſe ſignificarunt, quod*

ne Author admitteret, loco Diœcesium nomen Diœcesis substituit.

3. *Rationes Auctor noster indicat, quæ ipsum mouerunt, & inter alias ista, quod Imperij distributio in Diœceses à Constantino non solum tempore Concilij Arelatensis facta non fuerit, sed nec Diœcesis nomen tempore Concilij Nicæni notum fuisse videatur. In quo vltimo quam grauiter allucinetur, ex epistola Constantini tempore Nicæni Concilij ad omnes Ecclesias missa probatur, vtpotè in qua Pontica, & Asiana Diœceseos mentio facta reperitur.*

4. *Quamuis autem fieri possit, vt tempore Concilij Arelatensis nondum Imperium in 13. Diœceses sub quatuor Præfectis Prætorio a Constantino distributum fuerit, inde tamen non sequitur, Diœcesium nomen antea notum non fuisse. Onuphrius Panuinus Prouincias sub nomine minorum Diœcesium à tempore Hadriani Imperatoris notas fuisse affirmat, vt nihil obstet, maiores Diœceses tum vocatas fuisse, quas Sextus Rufus, & Patres Arelatenses contra minores Diœceses distinxerunt.*

5. *Maiorum autem Diœcesium notitiam Patres Concilij Arelatensis primi habuisse, licet Auctor noster verbis negare videatur, reipsa tamen comprobat, cum loco maiorum Diœcesium maioris Diœcesis nomen substituendum esse affirmat.*

6. *Patres Itali, Galli, Afri, Hispani, & Britanni Arelate congregati, Canone 1. statutum de vno Paschatis die per omnem Orbem, vel vt alia lectio habet, per omnem Vrbem obseruando ad Syluestrum referunt, vt ipse litteras ad omnes dirigeret, quo statuto ipsum superiorem suum agnoscunt.*

7. *Auctor noster putat auctoritatem indicandi Paschatis diem à Synodo Nicæna Syluestro ademptam, & Patriarchæ Alexandrino tributam fuisse. Sed quam grauiter erret, Leonis Magni, & Innocentij primi testimonijs ostenditur.*

8. *Etiam posito, quod Canon Arelatensis primus habeat, per omnem Orbem Paschatis diem a Syluestro publicari debuisse, nihil potestati Pontificiæ in Nicæno Concilio ademptum fuisse, Cyrilli Patriarchæ Alexandrini testimonio comprobatur, quo constat, à Nicæno Concilio computationem Paschalis festi Alexandrino commissam, publicationem Romano Episcopo relictam fuisse.*

9. *Falsum itaque est, quidquam à Nicæna Synodo detractum fuisse auctoritati Pontificiæ, quam Victor diù antea occasione celebrationis Paschatis exercuerat, vt patet ex fragmento Synodi Palestinæ, & Polycratis Ephesini testimonio.*

10. *Asianos Victoris mandato de Paschatis die obedire detractantes Victor excommunicare nititur, aut reipsa excommunicauit, ex quo de Pontificia eius auctoritate constat, quam Auctor noster in totum Orbem, vti & Patriarchalem in vniuersum Occidentem volens nolens ex Canone primo Arelatensi agnoscere cogitur.*

1 INter varia Antiquitatis monumenta, quæ ad comprobandam Patriarchalem Romani Pontificis in Occidentē vniuersum auctoritatem faciunt, non contemnendum est, quod Patres Concilij Are-

Arelatensis primi posterorum memoriæ consecrarunt. Cum enim illi ex Gallia, Hispania, Britannia, Africa, & Italia in ipso florentis Ecclesiæ exordio collecti essent, Canones constituerunt viginti duos, quorum primo agunt de festo Paschatis vno die & vno tempore vbique obseruando, adduntque, ea de re Syluestrum Papam *iuxta consuetudinem litteras ad omnes dirigere debere*; ex quo Canone colligitur, Patres Arelatenses Statutum de Paschatis die ad Syluestrum retulisse, prout reliquos quoque Canones retulisse constat ex Sydonica ipsorum epistola ad eumdem Pontificem, in quà disertè scribunt: *placuit etiam, antequam à te, qui maiores Diæceses tenes, per te potissimum omnibus insinuari*. Quod hic locus integer non sit, sed in illo nonnulla verba desint, iam sæpius annotarunt eruditi, qui proindè in illo restituendo operam industriamque suam adhibuerunt, vt ostendimus parte 2. Antiquitatis Illustratæ, Dissert. 1. cap. 7. art. 4. vbi adduximus sequentem Cardinalis Peronij & Francisci Rothomagensis Archiepiscopi emendationem: *placuit etiam hæc iuxta consuetudinem antiquam à te, qui maiores Diæceses tenes, & per te potissimum omnibus insinuari*. Duo sunt, quæ viri eruditissimi in prædicto loco corrigunt, quorum vnum aduerbium *antequàm*, aliud hæc verba *per te* spectant, circa illa dumtaxat quæstionem esse indicantes, quę in prædicto loco aut deprauata aut omissa erant, non verò circa alia, quæ rectè scripta videbantur. At alio modo Authorem no-

Canon. 1. Concil. Arelat.

Epistola Synodica Patrum Arelatensium.

Peronius, & Franc. Rothomagensis.

noſtrum nunc ſentire videmus, cum illa quoque corrigenda ducat; quæ rectè ſcripta eſſe conſtat: pagina enim 83. aſſerit,verè à Patribus Arelatenſibus dictum eſſe, *quod Papa habeat maiorem Diœceſim*, vbi hæc verba, *qui maiores Diœceſes tenes* corrigit, & loco *maiorum Diœceſium*, nomen ſingularis *Diœceſis* contra epiſtolę Synodicæ fidem ſubſtituit.

pag 83. the Pope a larger Dioceſe.

2. Parui quidem momenti videri poſſet hæc vnius verbi variatio, niſi integrum ſenſum immutaret, & agnitam à Patribus Arelatenſis Concilij in plures Romani Imperij Diœceſes Patriarchæ Romani poteſtatem euerteret. Ad huius veritatis confirmationem in memoriam reuocandum eſt, Diœceſim olim in Imperio vocari conſueuiſſe, quæ plures Prouincias complectebatur,qua ratione antiqua Imperij notitia ante tempora Arcadij, & Honorij conſcripta refert, ſub Præfecto Prætorio *Orientis Diœceſes quinque*, *Orientis*, *Aegypti*, *Aſiæ*, *Ponti*, *&* *Thraciæ*; ſub Præfecto Prætorio Illyrici *Diœceſes duas*, *Macedoniæ &* *Daciæ*; ſub Præfecto Prætorio Italiæ *Diœceſes tres*, *Italiæ*, *Illyrici*, *&* *Africæ*: ſub Præfecto demum Prætorio Galliarum,*Diœceſes tres*, *Hiſpaniæ*, *ſeptem Prouinciarum*, *&* *Britanniarum*. Vndè conſtat, Romanum Imperium ſub quatuor Præfectis Prætorio diſtributum fuiſſe in tredecim Diœceſes, quarum quinque ad Orientem ſpectabant, reliquæ ad Occidentem: ſiuè autem Patres Arelatēſes perſpectam habuerint hanc Imperij notitiam,ſiue aliundè notitiam Diœceſeon acceperint,

Antiqua Imperij notitia ante Arcadij, & Honorij tempus conſcripta.

ſcri-

ſcripſerunt ex Concilio Occidentali ad Syluestrum Occidentis Patriarcham: *qui maiores Diœceſes tenes*, vt nimirum ſignificarent, eum non vni Diœceſi præpoſitum fuiſſe, ſed pluribus Diœceſibus, omnibus vtique illis, quæ Occidentis terminis continentur. Quæ cum ita ſint, quis non videt, hoc ipſum Auctori noſtro diſplicere potuiſſe, eique mutandi textus occaſionem dediſſe. Cum enim hoc vno Patrum Arelatenſium teſtimonio ſententia ipſius de coercendis Patriarchatus Romani terminis euertatur, voluit forſan ad infringendam huiuſce argumenti vim loco *Diœceſium*, *Diœceſim* ſolummodo legere. Sic enim,qui pluribus Diœceſibus præſidens Patriarchalem ſuam auctoritatem vſque ad Britanniam extendebat, vnius Diœceſis Italiæ poteſtatem obtinens eiuſdem finibus coerceretur.

Patres Arelatenſes epiſt. Synodica,

3. Atqui hoc eſſe,quod Auctor noſter mutando textum Concilij ſuis obtrudere conatus ſit, ſatis indicat, dum rurſus Synodicæ Arelatenſium Patrum epiſtolæ meminit: „quoad voces,inquit, „ *Maiores Diœceſes*, dubium eſt, an Conſtantinus „ tempore Synodi Arelatenſis diſtribuiſſet Impe„ rium in Diœceſes: & veroſimilius eſt, nec id fa„ ctum fuiſſe tempore Nicænæ, cum ibi ſolum „ mentio fiat Prouinciarum non Diœceſeon. „ Quod ſi verum ſit, corrupta ſunt verba illo loco, „ ſicut certum eſt, in alijs fuiſſe corrupta. Quin „ etiam admiſſa loci integritate nihil inde dedu„ citur, niſi quod Epiſcopus Romanus haberet „ Diœ-

pag. 130. but as to the expreſſion of maiores Dioceſes, it is very queſtionable, whether in the time of the Council of Arles, the diſtribution of the Empire by Conſtantine into Dioceſes were then made, and it ſeems probable not to haue been done in the time of the Council of Nice, Dioceſes not being mentioned there, but onely Prouinces; and if ſo, this

,, Diœcesim maioris extensionis, quam alij Episcopi Occidentales, quod non negatur. Mentem suam clarè hic explicat Auctor noster, qui vt corruptionem textus vtcumque probaret, nonnulla pro lectione sua adducit, quæ hic expendenda sunt. Ac primo quidem indicat, Imperium ante tempora Arcadij & Honorij in Diœceses distributum fuisse sub Constantino Magno, id tamen post Concilium Nicęnum factum videri, vt Patres Arelatenses maiorum Diœcesium mentionem facere nequiuerint: *Dubium est*, inquit, *an Constantinus tempore Synodi Arelatensis distribuerit Imperium in Diæceses, & verosimiliùs est, nec id factum fuisse tempore Nicænæ, cum ibi solum mentio fiat Prouinciarum nō Diæceseon.* Verum grauiter allucinatur Auctor noster, & errori errorem adiungit, seque, dum ita loquitur, Acta, quæ tempore Nicæni Concilij prodierunt, non peruoluisse ostendit. Extat sane in Constantini epistola de Paschate per totum Terrarum Orbem vno die celebrando, quam tempore ipsius Nicæni Concilij scripsit, in qua non solum variarum Prouinciarum sub vnius regionis nomine meminit, sed expresse Ponticæ, & Asianæ Diœcesis mentionem facit, ἀσιανὴν τε διοίκησιν, καὶ ποντικὴν *Asianam*, inquit *& Ponticam Diæcesim*. Quid clarius? Quid expressius? Quid manifestius à Constantino Magno scribi potuit? certum itaque est, quod tempore Nicæni Concilij Diœceses fuerint in Imperio; quod Auctoris nostri ἄγνοιαν prodit,

place must be corrupt in that expression. as it is most certain, it is in others. and it is hard to lay So great vveight on a place that makes no entire sense. but allovving the expression genuine, it implies no more than that the Bishop of Rome had then more extensiue Dioceses than other vvestern bishops; vvhich is not denied &c.

Constantinus Magnus epist. ad omnes Ecclesias.

dit, eumque grauiter hac in re errasse conuincit.

4. Secundò dicit dubium esse, quandonam Constantinus Imperium in Diœceses distribuerit, quod nihil ad Quæstionem facit, cum Diœceses ante distributionem sub quatuor Præfectis Prætorio, in Imperio fuerint, sicque Patres Arelatenses suis temporibus Diœcesium nomen vsurpare potuerint, prout vsurpasse nemo huc vsque in dubium reuocauit. Diœceses Syluestro tribuunt, Diœceses itaque tum erant in Imperio, quarum nomine amplitudinem Patriarchalis Iurisdictionis Patres exprimebant. Onuphrius Panuinus diuisionem Prouinciarum, quæ sub Hadriano Imperatore obtinuit, referens, inter alios titulos vnum Italiæ Prouincijs præfigit, quo asserit. *Prouincias vel Diœceses in Italia, eiusque Insulis fuisse septemdecim.* Licet autem mihi non constet, vndenam Prouincias tunc Diœceses vocatas fuisse agnouerit, nullatenus tamen dubitem, quin illud sicut & cætera omnia ibidem allata in antiquis monumentis repererit: ponamus itaque, ab ipsius Hadriani temporibus Diœcesis nomen etiam Prouincijs tributum fuisse, negare nemo poterit, quin Prouinciæ fuerint Diœceses minores respectu maiorum, quarum Sextus Rufus in Breuiario mentionem fecit, dum *in Diœcesi Macedoniæ septem Prouincias* constitutas fuisse scripsit, ac quarum Constantinus Magnus in epistola ad Ecclesias meminit, dum tempore Concilij Nicæni *Ponticam & Asianam Diœcesim* in memoriam reuocauit.

Onuphrius de Imperio Romano.

Sextus Rufus in Breuiario.

Constantinus M. epistolas ad omnes Ecclesias.

Simi-

Similes itaque Diœceſes,vt ſe ſignificare innuerent Patres Arelatenſes, *maiores Diæceſes* minoribus oppoſuerunt, & *maiores Diæceſes* à S. Syluestro *teneri* Scripſerunt. Diœceſes igitur Syluester tenuit, dum Concilium Arelatenſe celebratum fuit, ſicque non paucis dumtaxat Prouincijs, quæ Diœceſes minores efficiebant, ſed pluribus Terrarum tractibus, qui Diœceſes maiores conſtituebant, præfuit, ac in ijs Patriarchalem auctoritatem obtinuit.

Patres Arelatenſes in epiſt. Synod.

5. Tertiò dicit Auctor noſter, cum Nicænum Concilium non Diœceſeon, ſed Prouinciarum meminerit, conſequi, locum fuiſſe corruptum: admiſſo tamen,locum eſſe ſincerum,nihil indè deduci, niſi quod Epiſcopus Romanus haberet Diœceſim maioris extenſionis, quam alij Epiſcopi Occidentales, quod non negatur? Verum antequam ad hoc vltimum reſpondeam, cum bona auctoris venia pauca de vſurpata tempore Nicæni Concilij Diœceſeon voce obſeruabo. Dicit ipſe, Diœceſis nomen Patribus Nicænis incognitum fuiſſe, adeoque, vt ſuprà audiuimus, Patres Arelatenſes plurium Diœceſeon mentionem facere non potuiſſe, locumque corruptum eſſe, & loco *maiorum Diæceſium*, *maioris Diæceſis* voces ſubſtituendas eſſe: at obſecro, in quo nam antiquo codice hanc lectionem reperit? in quonam veteri Auctore hoc inuenit? Si ex nullo codice Manuſcripto; ſi à nullo Auctore hoc didicit; id ipſum confinxiſſe, & omnium Mortalium primum ſomniaſſe oportuit. Deinde ſi

maio-

maioris Diœcesis voces substituendæ sint, atque ita legendum esse Auctor noster crediderit, vox *Diœcesis* igitur Patribus Arelatensibus ignota non fuit, vt ignotam fuisse, sibi ipsi contradicens asserit. Supponit quidem admissa loci integritate sequi, quod Episcopus Romanus habeat Diœcesim maioris extensionis, quam alij Episcopi, reuera tamen sequitur, non vnam, sed plures Diœceses habere: sic enim scribunt patres ad S.Syluestrum: *Qui maiores Diœceses tenes*. Si igitur locus sincerus sit, vt quoad illa verba sincerum esse, ea Manuscripta testantur, ex quibus epistolam primo Pittheus, deindè Sirmondus in Gallijs ante nostra tempora ediderunt, deducitur profectò, Syluestrum plures maiores Diœceses obtinuisse, & nuperum scriptorem de Disciplina Ecclesiæ grauiter quoque allucinatum esse, dum propria auctoritate sine vllo Antiquorum testimonio commentatur ad Synodi Are-
,, latensis verba: „Diœceseos nomẽ hic strictè non Dissert.1.§.11. pag.41.
,, sumitur pro Imperij Diœcesibus, sed potius pro
,, singulis ijs Prouincijs, quas Romanus Pontifex
,, regebat, vt sensus sit: Tu, qui maioribus præes
,, Occidentis Ecclesijs, cæteris Paschæ diem per
litteras significabis.„ Hęc Auctor ille, planè ignorans ea, quæ hic scribit. Vbinam enim intra suburbicarios suos limites maiores illas Occidentis Ecclesias reperiet? Romanam quidem inueniet, sed hæc vna est, non plures. Deinde non maiores Ecclesias, inquit Concilium, sed maiores Diœceses, quas, si in-

 qui-

quiras, Patres ipsi quasi digito demonstrant, dum ex Diœcesibus Italiæ, Galliæ, Africæ, Britanniæ, & Hispaniæ collecti ad Syluestrum Papam statuta sua referunt, illaque ab eo promulganda esse non solum epistola Synodica, sed Canone quoque primo affirmant.

6. Adferendus est Canon ille, quem Iacobus Sirmondus his verbis edidit. *De obseruationibus Pascha & Dominica, vt vno die & tempore per omnem Orbem obseruetur, & iuxta consuetudinem litteras ad omnes Tu dirigas.* Ita Sirmondus, cuius lectioni non omnes antiqui codices Manuscripti consentiunt: Sexcentorum enim annorum codex in Bibliotheca Sapientissimę Sueuorum Reginæ seruatus loco *per omnem Orbem obseruetur*, legit: *per omnem Vrbem à nobis obseruaretur*. In præstantissimo nongentorum annorum codice Palatino Vaticano legitur: *per Vrbem omnem à nobis obseruetur*. Ex quibus codicibus haberetur, Patres Arelatenses Decreta sua Syluestro detulisse, vt ea per Africam, Hispaniam, Britannias, Galliam, & Italiam iuxta antiquam consuetudinem publicaret, quod specialem Syluestri supra prædictas Occidentis Diœceses auctoritatem indicat, quam Patres in epistola ad Syluestrum agnouerunt, dum illa per eum, qui maiores Diœceses tenebat, omnibus potissimum insinuari voluerunt. Mouet quidem hic nonnullas difficultates Auctor noster aduersus Baronium, qui ex ista Actorum ad Syluestrum Papam relatione conclu-

Canon 1. Concilij Arelatensis 1.

Codex MS. Bibl. Reginæ Sueciæ.

Codex MS. Bibl. Palatinæ.

clusit pro Potestate Pontificia confirmandi Conci-
,, liorum Decreta. Baronius,inquit Auctor, bonis
,, auibus reperit hic necessitatem Papalis confir-
,, mationis, cum illi apertè dicant, se iam decreta
,, edidisse communi consensu, & ad eum misisse,
,, vt promulgarentur,id est sicut ait Petrus de Mar-
,, ca,vt Imperatores mittere solebant sua edicta ad
,, suos Præfectos Prætorio:hoccine fiebat ad con-
,, firmandum? Ita Auctor admittens Marcæ interpretationem, quæ huic loco videtur minus consentanea. Ponamus tamen veram esse, nonne Imperatores in Præfectis Prætorio specialem aliquam in præfatas Diœceses ipsis commissas auctoritatem agnoscebant, quando legum promulgationem per easdem Imperij Diœceses ijsdem deferebant? Quod si id negari à nemine possit, quomodo negare poterit Auctor noster specialem auctoritatem Romani Patriarchæ in commissas suæ curæ Occidentis Diœceses, per quas Patres Arelatenses ei Decreta publicanda offerunt? Hoccine fiebat sine vllius maioris auctoritatis agnitione? Si Syluester non habebat vllam Iurisdictionem in Occidentis Diœceses, quare Concilium publicationem Decretorum non commisit singulis Metropolitanis? Quare de ijs litteras non misit ad omnes Prouincias? Quare Syluestro hanc Prouinciam detulit? Nonne Patres Canone 1. id se fecisse indicant, quia ità anteà fieri consueuerat?

pag.83. Baronius had good luck to find out the necessity, of the pope's confirmation here Vvheras they plainly tell him, they had already decreed them by common cõsent, and sent them to him to diuulge them i.e. as Petrus de Marca saith, as the Emperours sent their edicts to their præfecti pretorio. Vvas that to confirm them?

7. Negare id non potest Auctor noster, sed

pag. 84. as to Easter, that Council decreed Canon 1. that it should be obserued on the same day and time throughout the VVorld And that the Bishop of Rome should giue notice, of the day according to costume but this latter part VVas repealed, as Binnius confesses, by the Council of Nice, VVich referr'd this matter to the bishop of Alexandria.

obijcit pag. 84. auctoritatem indicandi diem Paschatis Romano Episcopo ademptam fuisse in Nicæna Synodo. Statuit Concilium Arelatense, inquit, vt Pascha obseruaretur eodem die & tempore, & vt Episcopus Romanus daret notitiam diei iuxta consuetudinem. Sed hæc secunda pars correcta fuit, vt fatetur Binnius, à Synodo Nicæna, quæ id negotij commisit Episcopo Alexandrino. Verum miror, Auctorem nostrum citare Binnium pro correctione huius Canonis, qui Canonem hunc correctum fuisse minimè scribit. Dicit solummodo Binnius, officium computandi diem Paschatis Alexandrino Episcopo delatum fuisse à Nicæno Concilio, & ab Alexandrino diem hunc indicari debuisse Romano Episcopo: non dicit autem, quod Alexandrinus Episcopus eum diem missis per Occidentis Diœceses litteris publicare potuerit. Audiendus est hac de re Leo primus epistola 64. ad Marcianum Augustum: *Paschale etenim festum, quo Sacramentum salutis humanæ maximè continetur, quamuis in primo semper mense celebrandum sit, ita tamen est lunaris cursus conditione mutabile, vt plerumque Sacratissimi diei ambigua currat electio. Et ex hoc fiat plerumque, quod non licet, vt non simul omnis Ecclesia, quod non nisi vnum esse oporteat, obseruet. Studuereque Sancti Patres, occasionem huius erroris auferre, omnem hanc curam Alexandrino Episcopo delegantes, quoniam apud Aegyptios huius supputationis antiquitùs tradita esse videbatur peritia, per quam*

Leo Magnus epist. 64 ad Marcianum.

quam qui annis singulis dies prædictæ solemnitatis eueniret, Sedi Apostolicæ indicaretur, vt huius scripti ad longinquiores Ecclesias iudiciū generaliter percurreret. Notanda sunt vltima Leonis verba, ijs enim apertè indicatur, diei notitiam à Patriarcha quidem Alexandrino cum Sede Apostolica communicatam, à Sede autem Apostolica in longinquioribus ab Alexandria Ecclesijs, quales sunt Occidentales, publicari debuisse. Scribit Leo primus epist. 9. ad Rauennium Arelatensem, id ad suā sollicitudinem ex diuina institutione & paterna traditione pertinere, & præclarum habemus de hac veritate testimonium epistola 11. Innocentij primi ad Aurelium Carthaginiensem Episcopum, vbi hæc scribit: *has ergo litteras de ratione Paschali alterius (dico futuri) anni præscripsi. Nam cum ante diem vndecimum Kalendarum Aprilium penè Luna 16. colligatur (nam quidpiam minus est) itemque cum in ante diem quartum Kalendarum earumdem veniat 23. existimaui 11. Kalendarum memoratarum die festa Paschalia celebranda, quoniam in vigesima tertia Luna nullum Pascha vmquam, ante hoc Pascha factum esse cognoscimus. Sententiæ meæ exposui atque edixi tenorem. Iam prudentiæ tuæ erit, consors mihi Frater, cum vnanimis & Consacerdotibus nostris hanc ipsam rem in Synodo religiosissima tractare, vt si nihil dispositioni nostræ resultat, nobis plenissimè apertèque scribens, quo deliberatam Paschalem diem iam literis ante (vt moris est) seruandam, suo tempore præscribamus.* Vides, solam compu- Innocentius I. epist. 11.

ta-

tationem Alexandrino Episcopo competijsse, illamque Romani Episcopi iudicio firmari debuisse, & dum eius sententia probata erat, publicationem per Occidentis Diœceses ad Romanum Episcopum spectasse, & ideò per Africam ab eodem præscribi consueuisse. Notanda sunt illa verba *ex more*, vt eadem consuetudo, quæ tempore Arelatensis Concilij fuerat, tempore Innocentij primi sine vlla interruptione continuata fuerit, falsumque sit, quod Auctor noster scripsit, Concilium Nicænum aliam consuetudinem hac in re induxisse.

8. Verum quidem est, Auctorem nostrum cum Sirmondo Canonis Arelatensis verba non hoc modo legere: *per omnem Vrbem à nobis obseruetur*, sed *per omnem Orbem*, quo pacto habetur in plerisque Manuscriptis, ac antiquo præsertim octingentorum annorum Codice Vaticano, quo cum conuenit lectio epistolæ Synodicæ: *censemus ergo, Pascha Domini per Orbem totum vna die obseruari*. Sed quid ex hac lectione in suæ sententiæ fauorem deducet Auctor? forsan tempore Concilij Arelatensis Syluestro publicationem diei Paschatis per totum Orbem competijsse, eique tempore Concilij Nicæni hanc prærogatiuam iurisdictionis Pontificiæ ademptam fuisse? Tantum sanè abest, vt Patres Nicæni quidquam correxerint circa publicationem, quod eadem auctoritate, quo circa illam Romanum Pontificem vti consueuisse indicat Canon Arelatensis primus, eadem iuxtà Canones Nicænos vti perrexe-

Canon 1. Arelatensis.

Epistola Synodica Patrum Arelatensium.

xe-

xerit, vt testatur Sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus in Prologo sui Cycli Paschalis, quem ex MS. Codice Bucherius in Appendice ad doctrinam temporum primus edidit. *Sanctorum*, inquit Cyrillus, *totius Orbis Synodi consensione decretum est, vt, quoniam apud Alexandriam talis esset reperta Ecclesia, quæ in huius scientia clareret, quota Kalendarum vel Iduum, quota Luna Pascha debeat celebrari, per singulos annos Romanæ Ecclesiæ litteris intimaret, vndè Apostolica authoritate vniuersalis Ecclesia per totum Orbem diffinitum Paschæ diem sine vlla disceptatione cognosceret. Quod cum per multa sæcula pariter custodissent, nullamque indè scripturarum quispiam crederet &c.* Ita ipse Cyrillus, qui cum Patriarchatum Alexandrinum ab anno 412. obtinuerit, minimè ignorare potuit, quid Concilium Nicænum ante octoginta septem annos de Paschate statuerat, & prædecessoribus suis iniunxerat. Testatur itaque, à Concilio Nicæno computationem Paschatis commissam Alexandrinæ Sedis Episcopo, eumque singulis annis Romanæ Ecclesiæ diem illum intimasse, non autem Alexandrinæ, sed Apostolicæ Sedis auctoritate vniuersalem Ecclesiam per totum Orbem eumdem diem cognoscere debuisse.

Cyrillus Alexandrinus præfat. ad Cyclum.

9. Falsum itaque est, Nicænum Concilium quidquam detraxisse de Romani Pontificis auctoritate circa publicationem Paschalis Festi ab omnibus vno eodemque die celebrandi. Concilium Nicænum etiam post computum Alexandrino Episco-

sco-

ſcopo commiſſum hanc prærogatiuam Sedi Apoſtolicæ reliquit, eaque Romanos Epiſcopos pluribus ſæculis vſos fuiſſe, Cyrillus adfirmauit, Synodus Arelatenſis docuit, & Victor Papa ac Martyr circa finem ſecundi ſæculi varijs litteris oſtendit, quibus curam de Paſchatis Feſto vno die vbique celebrando ad ſe pertinere ſignificauit. Dolendum quidem eſt, litteras illas interijſſe, ſed Diuina prouidentia factum exiſtimem, quod quarumdam compendium nobis ſeruatum ſit ab antiquo Anglicanæ Eccleſiæ Presbytero, venerabili nimirum Beda, qui Tomo 2. libro de Paſchatis celebratione exhibet fragmẽtum Synodi Paleſtinæ, in quo leguntur ſequentia: *Tunc Papa Victor, Romanæque Vrbis Epiſcopus direxit auctoritatem ad Theophylum Ceſareenſis Paleſtinæque Antiſtitem, vt quomodo Paſcha recto iure à cunctis Catholicis celebraretur, Eccleſijs vtilis fieret ordinatio, vbi Dominus Saluator Mundi fuerat in carne verſatus. Percepta itaque auctoritate prædictus Epiſcopus non ſolum de ſua Prouincia, ſed etiam de diuerſis Regionibus omnes Epiſcopos euocauit, vbi cum illa multitudo Sacerdotum conuenit, tunc Theophylus Epiſcopus protulit auctoritatem ad ſe miſſam Victoris Papæ, & quid ſibi operis fuiſſet iniunctum, oſtendit.* Atque ex his conſtat de vna Victoris epiſtola, qua Theophylo Cæſareenſi in Paleſtina Metropolitæ mandauit, vt Concilium celebraret, in quo Quæſtionem de Paſchate diſcuteret. Victoris verò authoritati obſecutus erat Polycrates Epheſinus

Fragmentum Synodi Paleſtinæ apud Bedam.

ſinus reſcribens ad Victorem: *poſſem etiam Epiſcoporum, qui mecum ſunt, facere mentionem, quos petiſtis, vt conuocarem, ſicut & feci*. Extat hoc Polycratis teſtimonium apud Euſebium Cæſareenſem, qui lib. 5. cap. 24. ait, Victorem poſt celebrata per Orbem Concilia decretum edidiſſe de Paſchate vbique terrarum vno die celebrando, & Aſianos obedire detrectantes excommunicationis cenſura innodare voluiſſe. Polycrates Epheſinus epiſt. ad Victorem.

10. His ita geſtis, inquit Euſebius, *Victor quidem Romanæ Vrbis Epiſcopus illico omnes Aſiæ vicinarumque Prouinciarum Eccleſias tamquam contraria rectæ fidei ſentientes à Communione abſcindere conatur, datiſque litteris vniuerſos, qui illic erant, fratres proſcribit, & ab vnitate Eccleſiæ prorſus alienos eſſe pronuntiat*. Litteræ, quarum hic meminit Euſebius, etiam magno Eccleſiaſticæ eruditionis damno interierunt. Si enim extarent, ex ipſis forſan Victoris verbis colligeretur, quomodo ſuprema auctoritate Pontificia vſus Polycratem Epheſinum, alioſque Aſiæ Epiſcopos excommunicauit, aut ſententia excommunicationis terruit. Vtrum autem de his duobus Victori adſcribatur, certum eſt, Auctoritate Sedis ſuæ vſum fuiſſe, de qua tunc nemo Catholicorum cum ipſo contendebat: Ireneus enim alijque Occidentis Epiſcopi ſolummodo eum adhortabantur, vt à ſententia excommunicationis ferenda abſtineret, aut latam reuocare vellet, vt alibi ex ipſo Euſebio oſtendimus. Atque hæc ſufficiant occaſio- Euſebius lib. 5 hiſtor. cap.

ne Canonis primi Arelatensis, qui in Codicibus MSS. dupliciter refertur: in quibusdam eo modo, vt Patres Arelatenses offerant Syluestro Decretum de Paschatis festo *per omnem Vrbem*, & in alijs *per omnem Orbem* vno eodemque die celebrando. Alteram ex duabus lectionibus, quæ ipsi magis placuerit, Author noster arripere poterit, Patriarchalem namque vel Pontificiam auctoritatem negare meritò non poterit, quin imò, & Patriarchalem in totum Occidentem, & Pontificiam in Orbem vniuersum, si sapiat, admittet. Constat enim ex antiquis Patrum testimonijs, quæ nemo prudens contempserit, Romanum Episcopum in Occidente Paschatis diem præscripsisse Primatibus, & Metropolitanis, ac per illos, vt Leo Magnus testatur, suffraganeis Episcopis: in Orientis verò Ecclesijs suprema Sedis Apostolicæ authoritate vsus est, dum diem Paschatis ab Episcopo Alexandrino singulis annis nuntiari solitum ab omnibus etiam Orientalibus obseruandum esse definiebat, *vndè* (inquit Cyrillus) *Apostolica auctoritate vniuersalis Ecclesia per totum Orbem diffinitum Pasche diem sine vlla disceptatione cognoscebat*.

Cyrillus Alexandria.

CA-

CAPVT V.

An Canonibus Nicænis Metropolitanorum dignitas constituatur suprema, & quid Canone sexto statutum sit de auctoritate Patriarchali.

1. *Canones quartum, & quintum Nicænos causæ suæ fauere putat Auctor noster, illosque de suprema Synodorum Prouincialium auctoritate interpretatur.*

2. *Canones Nicæni non statuunt, quod iis statutum fuisse Auctor asserit. Auctoritatē Metropolitana superiorem Ægyptij ante Nicænum Concilium agnouerunt, dum Dionysij Alexandrini causam ad Dionysij Romani tribunal detulerunt. Rectè quoque ab Imperatore Aureliano causam Pauli Samosateni ad Romanum Episcopum delatam fuisse, Eusebius adfirmat.*

3. *Eusebianos superiorem quoque auctoritatem in Iulio primo agnouisse, antequam schismatis animum induissent, patet ex ipsorum legatione ad Iulium primum, & ipsius Iulij Papæ testimonijs, quibus constat iuxta veterem consuetudinem Canonibus Nicænis firmatam causam in Synodis Prouincialibus definitam potuisse ad Romani Episcopi iudicium referri.*

4. *Canonem sextum Nicænum, qui potestatem Episcopo Alexandrino supra Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim tribuit, quia Episcopo Romano parilis mos fuit, dicit Auctor ita intelligendum, vt parilitas in eo constiterit, quod vterque pluribus quidem* Prouincijs *præfuerit, sed neuter Metropolitanos sub se habuerit.*

5. *Ante tempora itaque Nicæni Concilij Romanum, & Alexandrinum Episcopos solummodo fuisse Metropolitanos, licet supra plures* Prouincias *eos constitutos Authbor existimet, vt ex verbis eius ostenditur.*

6. *Quam falsum sit, nullum Metropolita superiorem in Ecclesia tempore Nicæni Concilij fuisse, ex Episcopo Antiocheno ostenditur, quem sub se Metropolitam Cæsareensem habuisse, constat ex Theophylo Cæsareensi, & causa Ioannis* Hierosolymitani *Episcopi, cuius meminit D.Hieronymus.*

7. *Antiocheni Episcopi etiam meminit Canon sextus Nicænus, vt certum sit, auctoritatem* Patriarchalē, *ac Metropolitana superiorem à Patribus Nicænis agnitam fuisse.*

8. *Episcopum Alexandrinum in totum Ægyptum, Lybiam, &* Pentapolim *auctoritatem exercuisse, D. Athanasij, & Epiphanij testimonijs constat de Dionysio Alexandrino, &* Petro *eiusdem Ciuitatis Episcopo.*

9. *D.Epiphanius ait, quod Meletius cæteris Ægypti Episcopis antecellens secundum a* Petro *Alexandrino locum obtinebat, quibus verbis Meletium Metropolitanum agnoscit, sicut eum alibi expresse nominat, prout etiam apud Athanasium in Breuiario Episcoporum à Ioanne Memphi Antistite vocatur.*

10. *Cum itaque Meletius Archiepiscopus fuerit, & in vna ex Ægypti Prouincijs, cui Praefectus erat, Episcopos ante Nicænum Concilium ordinauerit, patet falsum esse, parilitatem inter Romanum, & Alexandrinum in eo constitisse, quod neuter sub se Metropolitanos habuerit.*

1, POstquam Auctor noster cap. 2. Concilium Arelatense malè interpretatus est, cap. 3. Synodi Nicænæ Canones in sensum à mente Patrum alienum detorquere conatur. Tres itaq; Canones, quos causæ suæ fauere credidit, interpretandos assumit: primus horum Canonum est ordine quartus, quo indicatur, in singulis Prouincijs fuisse Metropolitanum, statuiturque: *confirmatio autem eorum, quæ in vnaquaque Prouincia geruntur, tribuatur*

pag. 95. So that the rights of Metropolitans, as to the chief, Ecclesiastical gouernment of euery Prouince, are hereby secured.

,, *Metropolitano* ,, Ita vt, inquit Auctor noster
,, pag. 95. cautum sit iuribus Metropolitarũ, quo-
,, ad supremum Regimen Ecclesiasticum singula-
,, rum Prouinciarum,,. Secundus Canon est ordine quintus, quo statuitur, ne Clerici, & Laici, qui excommunicati sunt ab vno Episcopo, admittantur ab alio. Quod si quis quæratur se fuisse iniustè excommunicatum, causa eius in Synodo Prouinciali bis per annum celebranda audiri debeat. Synodum autem Prouincialem celebrari debere semel ante quadragesimam, deinde vero circa tempus Au-

pag. 99. Vvhich vvas confirmed by many other canons. and at these all Such causes vvere to be heard and determined, and persons excommunicated vve-

,, tumni: ,, quod inquit Auctor pag. 99. pluribus
,, posteà Synodis firmatum fuit, & in his contro-
,, uersiæ omnes audiendæ, & decidendæ sunt, &
,, excommunicati pro talibus habendi, nisi Syno-
,, dus retractasset sententiam. Et quamuis causæ
,, Epi-

,, Episcoporum hic non memorentur, Africani ,, tamen patres magna cum ratione dixerunt, id ,, subintelligendum esse, cum causæ audiri debeãt ,, intra Prouinciam, & nulla iurisdictio memore- ,, tur à Nicæno supra Metropolitanam.

re to be held so by all, unlesse the prouinciall Synod repeated the sentence. and although the case of bishops be not here mention'd, yet the African Fathers vvith great reason said, it ought to be understood. Since causes are to be heard vvithin the prouince, and no iurisdiction is mention'd by the Council of Nice, beyond that of a Metropolitane

2. Ita Auctor ille Canones Nicænos ad sensum detorquens, non, quem à Patribus Nicænis didicit, aut à Venerandæ Antiquitatis ministris suscepit, sed quem nouitatis prurigo adinuenit, ipseq; pro schismate Anglicano tuẽdo facere putauit. Metropolitanos suas Prouincias suprema auctoritate gubernasse, nullamque potestatem Metropolitana superiorẽ ante Concilij Nicæni tempora in Ecclesia fuisse, nouitatem sapit, quam Ægyptij sub Dionysio Alexandrino ignorarunt, dum eum apud Romanum Pontificem de hæresi accusarunt: *quidam ex Ecclesia fratres*, inquit D. Athanasius de sententia Dionisij contra Arrianos *rectè quidem sentientes, sed tamen cum ipsum non interrogassent, vt ediscerent, quo pacto scripsisset, Romam ascenderunt, ibique eum apud Dionysium eiusdem nominis Romanum Præsulẽ accusauerunt*. Num igitur Episcopi Ægyptij, quos *fratres rectè sentientes* appellat Athanasius, Romam ad Dionysium Papam Dionysij Alexandrini causam detulissent, si Prouincialis Synodi auctoritatem supremam iudicassent? numquid ipse Dionysius Alexandrinus aduersarijs suis respondisset, causam suam coram Episcopis Prouinciæ iudicari debuisse, si vnamquamque Prouinciam à suaSynodo summa au-

Athanasius de sententia Dionysij.

auctoritate regi debere credidisset? Tantum sanè abest, id existimasse Dionysium Alexandrinum, vt percepta accusatione *petiuerit à Romano Præsule, vt obiecta sibi indicarent, quibus acceptis opus edidit sub nomine Elenchi, & Apologiæ*, vt testis est D. Athathanasius loco superius citato. Quid memoria repetam, quæ in causa Pauli Samosateni Antiochensis Episcopi acta fuerunt tempore Aureliani Imperatoris? Narrat Eusebius lib. 7. cap. 30. eum post prioris Antiochenæ Synodi sententiam depositum fuisse in secunda Synodo, Domnumque, qui in eius locum electus erat, administrationem Antiochensis Ecclesiæ suscipere voluisse: *Sed* inquit Eusebius *cum Paulus ex domo Ecclesiæ nullatenus excedere vellet, interpellatus Imperator Aurelianus rectissimè hoc negotium dijudicauit, ijs domum tradi præcipiens, quibus Italici Christianæ Religionis Antistites, & Romanus Episcopus scriberent*. Aurelianus Imperator Domni & Pauli Samosateni causam post Synodi Antiochenæ iudicium Episcopo Romano iudicandam numquam misisset, si finiendarum in Ecclesia controuersiarum rationem ab Episcopis Catholicis non didicisset: nec Eusebius ipse, qui Nicæno Concilio interfuit, & Canonibus eius subscripsit, factum Aureliani tamquam rectissimum laudasset, si iudicium Synodi Antiochensis supremum credidisset.

Eusebius Cæsareensis lib. 7. c. 30.

3. Quod si constet ex dictis, ante Nicænum Concilium Synodos Orientales non ab vnius, sed plu-

plurium prouinciarum Metropolitis celebratas supremam authoritatem non habuisse in Ecclesia, quid de singularum Prouincialium Synodorum auctoritate dicemus? Eam ne quidem Eusebiani in Philippolitano conuenticulo propugnarunt. Dum enim Magnus Athanasius Patriarcha Alexandrinus ab Eusebio Nicomediensi in Tyrio Concilio damnatus ad Iulium Romanum Pontificem confugisset, Eusebiani iudicium causæ eidem Pontifici detulerũt: animaduertentes autem se damnandos fore, Auctoritatem Pontificis, quem sibi conciliare nequiuerunt, impugnare cæperunt, contenderuntque Mortalium primi, non quidem vnius Prouinciæ sententiam talem esse, vt ab ea ad maius iudicium prouocari non possit, quod auctor libri de antiqua Ecclesiæ disciplina dissertatione 2. nuper confinxit. Sed Orientalem Ecclesiam vt nomine ita Iurisdictione ab Occidentali Ecclesia distinctam esse, Romanumque Pontificem ea de re iudicare non posse, de qua Synodus Orientalis sententiam tulerat: Quam ob rem Iulius primus eos temeritatis, nouitatisque arguit, respondens in sua ad Eusebianos epistola, Occidentis Episcopos, *qui secum erant, admiratione plenos vix induci potuisse vt crederent, ea ab ipsis profecta fuisse*: dicit *Canones Apostolicos sequendos esse, & Episcoporum Nicænorum* Decreta, quibus prioris Synodi acta in alia Synodo examinari permittebantur, attendi debuisse: nam, inquit, *Si istiusmodi consuetudo olim fuit, eiusque memoria renouata* Iulius primus epist. ad Orientales Antiochiæ congregatos.

est

est, & scripto prodita in magna Synodo, eamque apud vos valere non sinitis, rem profecto indecoram facitis. Morem enim, qui semel in Ecclesia obtinuit, & à Synodo confirmatus est, iniquum est à paucis abrogari. Hæc Iulij primi modestissimi Pontificis & totius Italiæ Antistitum, qui pro causa Athanasij Romam conuenerant, sententia, quam adeò veram iudicarunt in Sardicensi Synodo trecenti Occidentis Episcopi, vt Eusebianos excommunicarint, & contra eos Canone 3. *Petri Apostoli memoriam* honorandam esse statuerint, appellationesque à Concilijs Orientalibus ad Romanum Pontificem fieri posse Canone 4. & 7. declararint. Et hæc, ni fallor, sufficere deberent ad euertenda Philippolitani Conuenticuli figmenta, licet ea non modo scriptor Anglus probauerit, sed nuperus quoque Auctor Gallus adeo vera esse sustinuerit, vt illa Dissert. 2. c. 1. §. 2. D. Ambrosio affingere tentarit. Ibi enim relato quodam Ambrosij loco ait, eumdem Patrem „ supponere „ res Orientalium ab Orientalibus „ administrari debere, nec ad Occidẽtales pertinere „ in Orientales iudicium, quod Constantius ait in „ epistola ad Synodum Ariminensem, nec non „ Eusebiani in Philippolitano Concilio „. Ita Auctor ille, non dubitans noua Ariani Imperatoris placita, & Conciliabuli Philippolitani somnia D. Ambrosio tribuere: Sed illis, quia responso indigna sunt, hic inhærere non debemus.

4. Pergamus proinde ad Commentaria Auctoris no-

nostri de 3. Canone, qui inter Nicænos est ordine sextus, noua enim & numquam ferè audita sunt, quæ in illis refert. Canon, de quo agitur, ex versione Dionysij Exigui ita habet: *Antiqua consuetudo seruetur per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim, ita vt Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quia & Vrbis Romæ Episcopo parilis mos est. Similiter autem & apud Antiochiam, cæterasque Prouincias suis priuilegia seruentur Ecclesijs. Illud autem generaliter clarum est, quod si quis præter sententiam Metropolitani fuerit factus Episcopus, hunc magna Synodus definiuit Episcopum esse non oportere. &c.* Canon 6. Nicænus.
Vnum est in hoc Canone, quod quia Auctoris nostri institutum euertit, ab eo miro modo explicatum fuit. Sequitur Auctor illam sententiam, quę nullam auctoritatem supra Metropolitanam agnoscit: quia autem Canon Nicænus Patriarchæ Alexandrino supra totam Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim auctoritatem tribuit, similemque morem Romæ, & Antiochiæ obtinuisse, vt eorum Episcopi supra plures Prouincias constituti fuerint, expresse significauit, Auctor noster Beueregij errorem secutus nullum Metropolitanum in Ægypto, Lybia, & Pentapoli tempore Nicæni Concilij fuisse asseruit, sicque Episcopum Alexandrinum Patriarcham quoad extensionem, Metropolitanum vero quoad administrationem facit.

5. Mihi forsan non credet Lector, credat itaque ipsi Auctori nostro, cuius hæc sunt verba:

,, In hoc Canone tria præcipuè ſpectantur: primum, vt confirmentur antiqua priuilegia quarumdam primarum Sedium, Romanæ videlicet, Alexandrinæ, & Antiochenæ. Secundum, vt muniantur priuilegia aliarum Eccleſiarum contra earum vſurpationes. Tertium, vt prouideatur ſtabili quieti Eccleſiarum Metropolitanarum. Quod vltimum adeò, clarum eſt, vt non indigeat vlteriori explanatione. Reliqua duo maximè faciunt ad noſtrum inſtitutum ,,. Hæc Auctor ille, qui primò fatetur, Patres Nicænos confirmaſſe antiqua quarumdam primarum Sedium priuilegia, quibus illæ quidem ſibi acquiſierant ampliorem poteſtatem, quam quæ ſit ſolius Metropolitæ, ſicque Epiſcopum Alexandrinum ſub ſe habuiſſe Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim, in quibus habuit iuriſdictionem Patriarchalem conſecrandi Epiſcopos, conuocandi Synodos, & iudicandi de maioribus Eccleſiarum cauſis. Ex his tamen ne quiſquam inferret, Epiſcopum Alexandrinum poteſtatẽ Metropolitana ſuperiorem obtinuiſſe, ſuſtinet, *quod nullos tunc habuerit ſub ſe Metropolitas in iſtis Prouincijs*, & quod modus Patriarchalis adminiſtrationis tempore Nicæni Concilij cum Metropolitana coinciderit, adeoque diuerſus ſit ab eo, qui poſteà introductus fuit. Fatetur itaque fuiſſe aliquid ſingulare in cauſa Epiſcopi Alexandrini: ,, illius curæ, inquit, immediatè commiſſæ erant ,, omnes Prouinciæ Aegypti, vnde erat Patriarcha

pag. 101. In this Canon there are three things principally design'd. 1. to cõfirm the ancient Priuileges of some of the greater sees; as Rome, Alexandria and Antioch. 2. To secure the priuileges of other Churches against their encroachments vpon them. 3 to prouide for the quiet establishment of Metropolitane Churches, which last is so plain that it will need no farther discourse but the other two are of great consequence to our design.

pag. 104. For all the Prouinces of Egypt were vnder his immediate care.

„ cha quoad extensionem, Metropolita quoad ad-
„ ministrationem Et istiusmodi erat tunc iurisdi-
„ ctio Episcopi Romani, quæ fuit vera ratio ad-
„ ducendi consuetudinem Romanam ad defen-
„ dendam illam Alexandrinam. Quia, vt rectè ob-
„ seruat Christianus Lupus tomo 5. Concil. pag.
„ 808. Episcopus Romanus nullos eo tempore
„ habebat Metropolitas intra Prouincias suæ iu-
„ risdictionis, ideoque appellationes immediatè ad
„ eum deferebantur, & in hoc sita est vera paritas
„ inter Episcopos Romanum, & Alexandrinum.

Vvhich vvas Patriarchal as to extent, but Metropolitical in the administration. And so vvas the iurisdiction of the bishop of Rome at that time, vvhich is the true reason of bringing the custome of Rome to iustifie that of Alexandria. For as it is vvell obserued by Christianus Lupus, the bishop of Rome had then no Metropolitanes vnder him vvithin the Prouinces subiect to his iurisdiction, and so all appeals lay immediately from the seueral bishops to him. And therein lay the exact parallel betvveen the bishops of Rome and Alexandria.

6. Itaque Auctor noster asserit, Patriarcham Alexandrinum nullos sub se habuisse Metropolitas, & in eo Romani Patriarchatus parilitatem constitutam fuisse. Sed antequam inquiramus, an verum sit, Alexandrinum, & Romanum Patriarchas nullos sub se habuisse Metropolitas, breuiter de Antiochèno videndum est, num nulli omninò Metropolitæ ante Nicænum Concilium ipsi paruerint. De illo enim etiam Canone sexto Nicæno statutum fuisse Auctor noster fatetur. Fuit Ecclesia Antiochena totius Orientis præcipua, habuitque sub se quindecim Prouincias, quas sub Diœcesi Orientis enumerat notitia Imperij, cumque in Oriente primum Fides nostra illuxerit, ac teste S. Luca Antiochiæ primò Christianorum nomen auditum sit, verisimile est, illam Ecclesiarum Hierarchiam ibi primum obtinuisse, quæ Canone 35. Apostolis tributo continetur, constitutos scilicet fuisse per Ciuitates Episco-

pos, & per Prouincias in Metropolibus Vrbibus primos, sic vt Episcopi singularum Gentium scirent, quis inter eos primus habebatur. Vnde primæ Cyliciæ Metropolis cum esset Tarsus, eius Episcopus tamquam Metropolita primo loco subscribere potuit illis litteris, quas Synodus Antiochena secunda contra Paulum Samozatenum edidit. Sic etiam primæ Palestinæ Metropolis erat Cæsarea, in qua diù ante tempora Nicæni Concilij fuisse Metropolitanum Episcopum, adeò manifestè constat, vt ea de re nullatenus dubitari possit. Cum enim Victor Papa ad Theophylum Cæsareensem scripsisset, quatenus pro definiendo Paschatis die Concilium celebraret, *percepta auctoritate*, inquiunt acta apud Venerabilem Bedam, *Episcopus non solum de sua Prouincia, sed etiam de diuersis Regionibus omnes Episcopos euocauit*. Quid clarius? Theophylo Cæsareensi tanquam Metropolitano *sua Prouincia* tribuitur, ex qua ipse Episcopos ad Concilium euocauit: suam itaque Prouinciam habuit, in qua Episcopis præfuit. Monstratur id vlterius ex facto Ioannis Hierosolymitani Episcopi, qui de Origenis errore ad Patriarcham Alexandrinum retulerat, & ideò à D. Hieronymo his verbis arguitur. *Tu, qui regulas quæris Ecclesiasticas, & Nicæni Cōcilij Canonibus vteris...., responde mihi, ad Alexandrinum Episcopū Palestina quid pertinet? ni fallor, hoc ibi decernitur, vt Palestinæ Metropolis Cæsarea sit, & totius Orientis Antiochia: aut igitur ad Cæsareensem Episcopū referre debueras...., aut si*

Fragmentum Synodi Cæsareensis apud Bedam.

D. Hieronymus epist. ad Pammachium.

si procul expetendum iudicium erat, Antiochiam potius dirigendæ litteræ ..... Maluisti occupatis auribus molestiam facere, quam debitum Metropolitano tuo honorem reddere. Ità D. Hieronymus epist. 61. ad Pammachium, apertè asserens, iuxta Canones Nicenos Hierosolymitanum Episcopum Cæsareensi vt Metropolitæ, Antiocheno vt Patriarchæ subditum fuisse: vt manifestè constet, Antiochenum Patriarcham etiam in ipsa Palestina tempore Nicæni Concilij habuisse Metropolitanum Cæsareensem sibi subditum.

7. Quod cum ità sit, quid hic respondebit Auctor noster, quid comminiscetur, quid somniabit, vt hanc veritatem eludat? dicet ne, se de Patriarcha Antiocheno locutum non fuisse, sed tantum de Patriarchis Alexandrino, & Romano, quod inter illos duos parilitatem dumtaxat Canon Nicænus constituat? id si rectè sapit, numquam respondebit: ipse enim Canonem Nicænum eo modo interpretatus est, vt trium primarum Sedium, adeoque etiam Antiochenæ iura complectatur. Cum autem ex dictis constet, Sedem Antiochenam sub se habuisse plures Metropolitanos Episcopos, nonne constat falsum esse, quod Auctor noster post Beueregium finxit, Concilium Nicænum Canone 6. nullam auctoritatem Metropolitana superiorem agnouisse? Nonne manifestum sit, quod Britannicis populis errorem imponat, quando pro tuenda suprema Metropolitanorum potestate omnem aliam ipsa superiorem

riorem Nicæno Concilio ignotam fuiſſe aſſerit. Hæc ſufficere debere exiſtimo, vt oculi Anglorum aperiantur, & errorem de ſuprema Metropolitanorum poteſtate, quo imbuuntur, deſerant, ac execrentur?

8. De Patriarchatu Antiocheno ſatis hactenus, iam de Alexandrino ſermonem inſtituamus. In confeſſo eſt, Epiſcopum Alexandrinum ante Concilij Nicæni tempora habuiſſe poteſtatem ſupra plures Prouincias, idque Canon ſextus Nicænus apertè indicat, dum vetuſtam conſuetudinem obſeruari ſtatuit, qua Epiſcopus Alexandriæ ſupra Aegyptum, Lybiam, & Pentapolim poteſtatem exercebat. Id de Dionyſio, qui ſexaginta annis ante Nicænum Concilium Alexandrinam Eccleſiam rexit, expreſsè D. Athanaſius in Libro de Sententia Dionyſij contra Arianos his verbis commemorat: *In Pentapoli ſuperioris Lybiæ quidam Epiſcoporum ſententias Sabellij amplectebantur, tantumque eorum commenta inualuerant, vt vix vlterius filius Dei in Eccleſijs prædicaretur. Re cognita Dionyſius, ad cuius curam eæ Eccleſiæ pertinebant, Legatos miſit, qui Authores harum rerum ab illis prauis opinionibus retraherent.* Teſte itaque Athanaſio, Lybiæ ſuperioris, ſeù Pentapolis Eccleſiæ ad Dionyſij curam ſpectabant, ſicut & aliæ Eccleſiæ per cæteras Diœceſis Aegyptiacæ Prouincias diſtributæ, prout D. Epiphanius Hæreſi 68. commemorat, cum Meletiani ſchiſmatis originem detegit: *Meletius*, inquit, *cum Mar-*

D. Athanaſius de ſententia Dionyſij.

D. Epiphanius.

Martyribus ac præcipuè Petro Archiepiſcopo Alexandrino tum in vinculis habebatur: atque ille quidem cæteris Aegypti Epiſcopis antecellens ſecundum à Petro dignitatis locum obtinebat, vtpotè illius adiutor, ſed eidem tamen ſubiectus, & ad ipſum de cauſis Eccleſiaſticis referens. Hic enim mos eſt Alexandrinorum Archiepiſcoporum, vt per totam Aegyptum, ac Thebaidem, Mareotidem, Lybiam, Ammoniacam, Mareotidem, & Pentapolim Eccleſiaſtica negotia adminiſtrent. Ex his Antiquorum teſtimonijs clarè conſtat de Epiſcopi Alexandrini ſupra omnes totius Aegypti Prouincias poteſtate, neque de ea quemquam dubitare poſſe exiſtimo, vndè videndum reſtat, an nullus, tum temporis in cunctis Aegypti Prouincijs fuerit Metropolitanus Epiſcopus. Epiphanius hæreſ. 68.

9. Negat id Auctor noſter de tẽporibus Nicæno Concilio anterioribus, ſed quo fundamento, neſcio. Meletius enim ante Concilij Nicæni tempora Epiſcopatum in Thebaide obtinuit, & de ipſo D. Epiphanius loco ſuperius relato memoriæ mandauit, quod tempore S. Petri Alexandrini Epiſcopi, qui quatuordecim circiter annis ante Concilium Nicænum Martyrio coronatus eſt, *cæteris Aegypti Epiſcopis antecellens ſecundum à Petro dignitatis locum obtinebat*. Qua ratione autem Meletius tunc ſecundum locum à Petro obtinuiſſet, quo iure cæteris Aegypti Epiſcopis antecelluiſſet, niſi Metropolitanus fuiſſet? vis ampliorem confirmationem? D. Athanaſium conſule, qui Meletium in Aegypto Epi-

Episcopos ordinasse perhibet, & in Breuiario Episcoporum Meletij vltimo loco nominat Ioannem Memphiensem Episcopum: ἐν Μεμφὶ Ἰωάννης κελευσθεὶς παρὰ τοῦ βασιλέως εἶναι μετὰ τοῦ Ἀρχιεπισκόπου: *In Memphi Ioannes iussus ab Imperatore, vt esset vnà cum Archiepiscopo.* Meletius ergò Archiepiscopus erat, cui ex mandato Imperatoris Ioannes Memphi Episcopus adhærebat: idque est, quod expresse affirmat D. Epiphanius Hæresi 69., vbi de Ario narrat, quod Secundum Pentapolitanum Episcopum cum alijs nonnullis in partes suas pertraxerit, illaque omnia inscio Beato Alexandro gesta sint, *donec Meletius Thebaidis in Aegypto Archiepiscopus*, Et iterum: donec *Meletius Archiepiscopus in Aegypto, & Alexandro subiectus rem omnem ad Alexandri aures detulit.* Ita Epiphanius bis Meletium Ἀρχιεπίσκοπον nominat, affirmatque, Alexandro Alexandrino subiectum fuisse, vt nullum dubium esse possit, quin Patriarcha Alexandrinus ante tempus Nicæni Concilij Metropolitanum sub se habuerit, & rerum Ecclesiasticarum ignorantia factum sit, quod Auctor noster nullum in Thebaide Metropolitanum agnouerit.

Breuiarium Episcoporum à Meletio ordinatorũ

D. Epiphanius.

10. Hæc itaque cum clariora sint, quam vt in dubium reuocari possint, dicat nunc Auctor noster, parilitatem Patriarchatus Alexandrini, & Romani in eo sitam fuisse, quod neuter Metropolitanos sub se haberet. Cum enim ostensum sit, sub Patriarchatu Antiocheno & Alexandrino non solum plures

Pro-

Prouincias, ſed etiam Metropoles ante Concilij Niceni tempora fuiſſe; quando Canone ſexto Nicæno ſtatuitur, morem antiquum obtinere debere, vt Epiſcopus Alexandrinus totius Ægypti, Lybiæ, & Pentapolis habeat poteſtatem, quia Epiſcopo Romano parilis mos eſt, non ſolum Epiſcopi Alexandrini ſuper Epiſcopos, ſed etiam ſuper Metropolitas auctoritas confirmatur exemplo Patriarchæ Romani, quē conſequenter ſuper Metropolitanos poteſtatem habuiſſe oportet. Nec eſt, quod quiſquam obijciat, paraphraſim Ruffini de Suburbicarijs Regionibus, eaſque cum Salmaſio intra centum ab Vrbe lapides, aut cum nupero ſcriptore Gallo intra Vicariatus Vrbis limites concluſas fuiſſe affirmet. Hæc enim in ſecunda Antiquitatis illuſtratæ editione latius refellā, & erronea eſſe oſtendam. Quis interim non mirabitur inueniri homines, qui dum Antiochenum Epiſcopum ſupra 15. Orientis Prouincias, & Alexandrinum ſupra ſex Ægyptiacas conſtitutos fuiſſe conſpiciunt, Romani Epiſcopi Patriarchalem poteſtatem intra centum ab Vrbe lapides aut paulo plures coarctatam fuiſſe dicunt? Si Epiſcopus Alexandrinus ſupra maiorem Romani Imperij Diœceſim ius Patriarchale obtinebat, quia Epiſcopo Romano parilis mos erat, ipſum certè Epiſcopum Romanum ſupra ſimilem ad minus Imperij Diœceſim ius Patriarchale obtinuiſſe dicendum erit. Atqui non vnā, ſed plures maiores Diœceſes Syluestrum Romanum Epiſcopum tenuiſſe, Concilium Arelatenſe pri-

Canon 6. Nicænus.

mum diserte tradidit decem annis ante Nicænum: nec vllibi legitur, has Diœceses in tam breui annorum spatio Syluestro ademptas fuisse, vt indubitatum esse debeat, ipsum omnino eas Concilij Nicęni temporibus retinuisse, & consequenter Patriarchalem Summorum Pontificum potestatem supra vrbiuicinas, & cæteras Occidentis Prouincias, intra quas Britannicæ numerari debent, constituendam esse.

CAPVT VI.

Quod Britannica Ecclesia à suis primordijs vsque ad tempus restaurata sub Gregorio Magno per Augustinum Monachum Religionis, auctoritatem Metropolitana superiorem agnouerit.

1. Britanniam nullam auctoritatem Metropolitana superiorem agnouisse vsque ad Pontificatum Gregorij Magni, Auctor noster coniecit ex quodam Britannorum Episcoporum & Monachorum Banchorensium responso ad Augustinum Gregorij Legatum, quod ipse quidem ex Beda, Spelmanaus verò ex antiquo Manuscripto Anglico comprobare nituntur.

2. Manuscriptum à Spelmanno editum & Auctore nostro probatum, suppositum est ac recens inuentum. Anglicana Ecclesia à suis primordijs auctoritatem Metropolitana superiorem in Romano Pontifice agnouit, vt ostenditur ex Concilio Arelatensi primo, cui tres Britanniarum Episcopi interfuerunt.

3. Idem probatur ex Canonibus

bus & epistola Sardicensis Concilij, cui Britanniarum Episcopos adfuisse, D. Athanasius commemorat.

4. *Id quoque indicauit Pelagius natione Britannus, cum post hæresis suæ in Synodo Orientali damnationem non solum causam suam ad Romani Episcopi tribunal mitti voluit, sed & librum fidei suæ cum litteris ad Innocentium primum misit, vt ex Augustino & Orosio constat.*

5. *Clarius id agnouit Celestius Pelagij discipulus natione quoque Britannus, dum in Synodo Carthaginiensi ob hæresim damnatus, à* Synodi sententia ad Romani Episcopi examen credidit appellandum, *vt testatur Marius Mercator: illam enim appellationem prosequi debuit, vt asserit Paulinus D. Ambrosij Diaconus.*

6. *Confirmatur hoc ipsum ex Episcopis, qui à Sede Apostolica in Britanniam missi sunt, & à Britannis recepti, vt de Germano Antisiodorensi narrat S. Prosper, cuius testimonium hac in re contemni non debet.*

7. *Idem testantur Venerabilis Beda de Palladio Scotorum, & Matthæus VVest-Monasteriensis de S. Patricio Hibernorum Apostolis.*

8. *Probatur quoque manifestè ex ijs, quæ Gregorius Magnus pro restauranda in Britannijs Religione Catholica egit. Misit namque Augustinum Sedis suæ Legatum, vt in illa Insula Ecclesias institueret, Metropolitanos ordinaret, & Episcopos consecraret, qui omnes ipsi parere tenerentur.*

9. *Neque auctoritati Pontificiæ opposuerunt se Monachi Banchorenses aut Britanniæ Episcopi tempore Augustini Legati. Monumentum enim de responso Abbatis Banchorensis à Spelmanno editũ est supposititium, & acta apud Bedam innuunt solummodo, de quibusdam ritibus, non verò Primatu Pontificis quæstionem fuisse.*

10. *Quod si ponatur, Monachos Banchorenses etiam primatui Papæ contradixisse, nihil ex hac oppositione deduci potest, cum Augustinus eos falsum quid tueri miraculo ostenderit, & Diuinitùs de veritate constiterit.*

1. OPeri suo Auctor noster finem impositurus proponit ea, quæ occasione legationis Augustini dicta putantur à Monachis Banchorensibus, & Episcopis Britannis, de quibus refert ,, sequentia: ,, Augustinus plena, vt putabat, in,, structus potestate rogauit Episcopos Britanni,, cos, vt sibi occurrerent in loco dicto Augustins, ,, ac.... illis autem eo venientibus proposuit, vt ,, amplecterentur vnitatem Ecclesiæ Catholicæ, & ,, postea operam conferrent ad conuersionem Gé- ,, tilium

pag. 357. Augustine being furnished vvith such full povvers, as he thought, desires a meeting vvith the British Bishops, at a place called Augustins ac, as Bede saith (in the confines of the Vvieeij and

[illegible] nunc Ecclesia, ab illis fiebant;
[illegible] Quibus verbis eos
[illegible] omnes Com-
[illegible] submitterent Ec-
[illegible] Augustini agno-
[illegible] poenis quá
[illegible] super ea re ini-
[illegible] conve-
[illegible] septem Episcopi
[illegible] Eruditi praeci-
[illegible] cui Dinothus
[illegible] consilium suis, quod
[illegible] Ecclesiae Ro-
[illegible] Augustinum in suum
[illegible] Auctor noster,
[illegible] non solùm inniti
[illegible] manuscripto per Spel-
[illegible] Bancho-
[illegible] quis esset ille *Papa*,
[illegible] cui Augustinus à
[illegible] praeesse volebat.
[illegible] suppositionis à
[illegible] tamen auctori-
[illegible] illud refert *Bri-*
[illegible] indicat, unde il-
[illegible] addítq; si-
[illegible] manuscriptum, & de-
[illegible] nomine Au-
[illegible] in Bibliotheca Cotto-
,, niana.

,, niana. Hæc omnia sunt signa candoris, & fide-
,, litatis, nec quidquam vlterius exigi potest:
,, Spelmannus enim erat vir acrioris iudicij, & sa-
,, gacitatis, quam vt ipsi facilè imponi posset nu-
,, pera inuentione aut nouiter reperta schedula, vt
,, Cressæius illud manuscriptum vocat.,,

the Church of Rome, or to Augustine as Archbishop ouer them.

Ex tomo 1. Conciliorum Spelmanni Auctor pag. 360. Sir H. Spelman who sets it down at large in Welsh, English and Latin, tells from whom he had it, and exactly transcribed it, and that it appeared to him to haue been an old MS. taken out of an older, but without date or Authour, and believes it to be still in the Cotton Library. Here is all the appearance of ingenuity and faithfulness that can be expected. and he was a person of too great judgment and sagacity to be easily imposed upon by a modern inuention, or a new found schedule, as Mr. Cressy Phrases it.

2. Ex his Auctoris verbis facilè colligitur, illum, etsi præcipuum causæ suæ fundamentum in auctoritate Bedæ constituat, non tamen negare auctoritatem manuscripti à Spelmanno editi, quod tamquam recens confictum reijciendum videtur, vt facile monstratur. Neque enim verisimile est, Dinothum Abbatē Banchorensem illa dixisse de Romani Pontificis potestate, quæ eum dixisse manuscriptum illud perhibet: non enim noua res erat auctoritas Pontificia in Britanniæ Insulis, neque recens aliquod inuentum Patriarchalis Romani Episcopi in Ecclesias Britannicas auctoritas. Qui antiqua Anglicanæ Ecclesię monumenta peruoluit, hæc, vt puto, negari non posse perspiciet. Si namq; noua erant, & recens inuenta, cur igitur ineunte quarto sæculo ex Arelatensi Concilio Eborius Eboracensis, Restitutus Londinensis, Adelphius Coloniæ Londinensium Episcopi, alijque ex Britannię Clero eiusdem Concilij Arelatensis acta ad Syluestrum misissent, vt ipsius opera omnibus nota fierent? Cur illum maiores Diœceses tenere confessi essent? Cur Apostolos quotidiè in Cathedra Romana sedere scripsissent, si in Cathedra Romana

Patres Arelatenses epistola Synodica.

Apo-

Apostolicam auctoritatem non remansisse crediderint.

3. Constat profectò, quod ad medium eiusdē sæculi Britāniarum Episcopi, quos Sardicensi Concilio adfuisse testatur Athanasius, Eusebianis sese opposuerint, & D. Athanasium à Iulio Primo rectè absolutum fuisse propugnarint, appellationes ex omnibus Orbis Catholici Prouincijs ad Sedē Apostolicam fieri permiserint, & in Romano Pontifice *Petri Apostoli memoriam* honorandam esse professi sint. Ita enim Britanniarum Antistites, qui cum trecentis Episcopis ad Concilium Sardicense sese contulerant, Canone 3. statuerunt: *S. Petri Apostoli memoriam honoremus, vt scribatur ab his, qui causam examinarunt, Iulio Romano Episcopo: & si iudicauerit, renouandum esse iudicium, renouetur, & det Iudices: si autem probauerit talem causam esse, vt non refricentur ea, quæ acta sunt, quæ decreuerit, confirmata erunt.* Vndè ijdem Britanniarum Episcopi post constitutos Canones in epistola Synodica ex Cresconij collectione, & Hilarij fragmentis tom. 2. Conciliorum apud Labbeum edita scripserunt ad Iulium Primum, *optimum & valdè congruentissimum videri, si ad caput, id est, ad Petri Apostoli sedem de singulis quibusque Prouincijs Domini referant Sacerdotes.* Quid manifestius scribere potuerunt Britanni Episcopi, quam sedem Romanam esse Petri Cathedram & caput totius Ecclesiæ, ad quam ex toto Mundo referre debebant Episcopi, prout ex Sardicensi

Canon. 3. Sardicensis.

Epistola Synodica Sardicensis

tensi Synodo referebant damnationem Eusebianorum, de quibus scribunt ad eumdem Iulium Papam: *Omnes fratres, & Coepiscopos nostros litteris tuis admonere digneris, ne epistolas, id est, litteras Communicatorias eorum accipiant.* Qua in re Britanni Episcopi conuenerunt cum D. Ambrosio, & Episcopis Italis, qui in epistola Synodica Aquileiensis Concilij hoc eodem sæculo quarto scripserunt ad Gratianum Imperatorem: *totius Orbis Romani caput Romanam Ecclesiam* esse. *Vndè in omnes venerandæ Commonitionis iura dimanant.* Concilium Aquileiense epist. ad Gratianum Imperatorem.

4. Præclarum est pro Romani Pontificis primatu testimonium, quod ab ipsis Romanæ fidei hostibus in Britannia natis desumitur. Pelagius Natione Britannus primum ab Orosio Hispano Presbytero coram Synodo Diospolitana de hæresi, deindè verò ab Occidentalibus coram Synodo Orientali sub Theodoto Antiocheno accusatus, non solum causam suam ad B. Innocentium Papam Romanum referri permisit, sed & ipse libellum Fidei suæ ad illum direxit. De prioris Synodi actis testatur Orosius in Apologia sua pro libertate arbitrij contra Pelagium, referens, Ioannem Episcopum Hierosolymitanum in Synodo Diospolitana tandem protulisse sententiam, vt ad *B. Innocentium Papam Romanum fratres & epistolæ mitterentur, Vniuersi, quod ille decerneret, sequuturi.* Secundæ Synodi mentionem facit D. Augustinus lib. 1. contra Iulianum, cap. 3. affirmans, ei præsedisse Theodotum Orosius apologia pro libertate arbitrij.

tum

tum Antiochenum Episcopum, seque illius ac Prayli Hierosolymitani Episcopi hac de re ad Innocentium litteras penes se habuisse. Pelagium demum suæ fidei libellum Innocentio primo obtulisse, Augustinus lib. 2. de gratia Christi, cap. 21. his verbis commemorat: *de libro Fidei, quem Romam cum ipsis litteris misit ad eundem Innocentium*. An Pelagius ab Orientalibus Episcopis causam suam ad Romani Episcopi tribunal referri permisisset, ipseque misso fidei libello se coram Innocentio primo purgare curasset, si in Britannia, vbi enutritus erat, Innocentij auctoritas nihili fiebat? Nonne Sedis Apostolicæ sententiam declinasset, & Ecclesiæ Romanæ hac de re iudicium respuisset?

D. Augustinus lib. 2. de gratia Christi, cap. 21.

5. Tantum sanè abest, id facere potuisse, vt Cælestius Pelagij discipulus natione Scotus in altera Mundi parte de eadem Hæresi à Paulino D. Ambrosij Diacono accusatus, & à Carthaginensi in Africa concilio damnatus ad examen Romani Episcopi appellandum crediderit.. Sic enim apud Marium Mercatorem legitur in Commonitorio: *à qua sententia ad Romani Episcopi examen credidit appellandum*. An forsan ad eum appellandum credidit, quem auctoritatem iudicandi non habere existimauit? Aliter sanè sentiebat Paulinus in libello Papæ Zosimo oblato, vbi de Cælestio ait: is, *qui ad Sedem Apostolicam prouocarat, defuit, quem vtique oportuerat merita suæ appellationis astruere*. Non potuit D. Ambrosij Diaconus clarius affirmare, quod

Marius Mercator in Commonitorio.

Paulinus in libello Zosimo Papæ oblato.

Sedes

Sedes Apoſtolica habuerit ius recipiendi appellationes, & Cæleſtius coram Romano Pontifice tamquam ſuperiore momenta ſuæ appellationis proſequi debuerit. Quamuis autem Cæleſtius neglecta prima appellatione in Aſiam & Thraciam profugerit, hinc tamen eiectus *ad Vrbem Romam* teſte Mario Mercatore, *ſub S. memoriæ Zoſimo Epiſcopo tota feſtinatione perrexit*, ibidemque eius tergiuerſationibus & erroribus detectis, à B. memoriæ Zoſimo Epiſcopo vna cum Pelagio damnatus fuit; qua de re epiſtola Zoſimi *per totum Orbem miſſa ſubſcriptionibus SS. Patrum roborata fuit*, vt in commonitorio ſupradicto continetur, cui concinit S. Proſper in Chronico aſſerens, Decreta contra Pelagium & Cæleſtium ex Africa ad Papam Zoſimum perlata fuiſſe: *quibus*, Inquit, *probatis per totum Mundum hæreſis Pelagiana damnata eſt*. Quantum itaque ex tota Cæleſtij & Pelagij cauſa colligitur, adeo certum erat temporibus Innocentij primi, eam ad Romani Pontificis tamquam ſuperioris tribunal ſpectaſſe; vt non ſolum Orientis & Africæ Concilia id vltro agnouerint, ſed peſtes orbis terrarum Pelagius & Cæleſtius id negare auſi non ſint, quin etiam, cum Zoſimi epiſtola, qua Pelagiana hæreſis damnata eſt, per vniuerſam ſub Cœlo Eccleſiam tranſmiſſa ad Britanniam etiam peruenerit, nullum omnino dubiũ eſſe poteſt, quin ſubſcriptionibus quoque Britannorum Patrum Hæreſis illa damnata ſit, Vndè notat Vener. Beda, Pelagianã Hæreſim ſerius

Marius Mercator in Commonit.

S. Proſper in Chronico.

N Bri-

Britanniam penetrasse, & primum per Agricolam Pelagiani Episcopi filium circa tempora Cælestini Papæ in Britannias illatam fuisse: ex eo namque constat, Britanniam toto Innocentij, Zosimique Pontificatu ab Hæresi illa immunem fuisse, quod non alia ratione contigisse existimandum est, quam quia Innocentij, & Zosimi Decreta receperat.

6. Vbi autem Agricola per Britannias Pelagianam hæresim seminauit, Sedes Apostolica auctoritate sua vsa Episcopos in Britanniam misit, quos Britannia recepit, & quorum ope non ab hæresi solum, vbi fides Christiana vigebat, sed ab infidelitate quoque, vbi fides extincta erat, conuersa fuit. Narrat quidem Venerabilis Beda lib. 1. Hist. Gentis Anglorum, cap. 17. Britannos ab Episcopis Gallis auxilium contra Pelagianam hæresim petijsse, & Lupum Tricassinum, ac Germanum Antisiodorensem Episcopum ex Galljis ad Britanniam venisse, vnde auctor noster pag. 89. Romanæ Ecclesiæ Authoritatem minimè agnitam fuisse deducit. Verum qui Bedam allegat, scriptorem, ex quo Beda historiam suam desumere potuit, audiat, sanctum scilicet Prosperum Regiensem Episcopum, qui ad Consulatū Florentini & Dionisij factum his verbis enarrat. *Agricola Pelagianus Seueriani Episcopi Pelagiani filius Ecclesias Britanniæ dogmatis sui insinuatione corrupit, sed ad actionem Palladij Diaconi Papa Cælestinus Germanum Antisiodorensem Episcopum vice sua mittit, & deturbatis Hæreticis Britannos ad Catholi-*

S. Prosper in Chronico.

tholicam fidem dirigit. Ita S. Prosper, qui per ætatem Palladium Cælestini Papæ Diaconum videre & alloqui potuit, & sub Leone Magno Cælestini successore Romæ fuit, eiusdemque Leonis Notarius extitit, adeoque authenticum Instrumentum, quo Germano Antisiodorensi Episcopo Sedis Apostolicæ vices per Britannias commissæ sunt, in Scrinijs Romanæ Ecclesiæ legere potuit, vt de huius Patris testimonio ne dubium quidem moueri possit. Neque refert, à Venerabili Beda memoriæ proditum esse, Germanum simul cum Lupo ad instantiam Britannorum in insulam venisse, & Concilij Verolamij iudicio ad disputandum cum Pelagianis selectos fuisse: Hæc enim, vt rectè obseruauit Annalium parens Baronius nihil obstant, quo minus ad instantiam Palladij Romani Diaconi Cælestinus Papa Germano Antisiodorensi Episcopo vices suas commiserit, ipseque Germanus auctoritate Apostolica fretus ad Britanniarum Ecclesias componendas perrexerit, & ex propria Diœcesi ad alias profectus fuerit, prout non semel, sed sæpius factum esse, ex istorum temporum monimentis edocemur.

7. Enimuerò refert S. Prosper biennio post missionem Germani Antisiodorensis: Consulibus Basso & Antiocho *ad Scotos in Christum credentes ordinatur à Papa Cælestino Palladius, & primus Episcopus mittitur*. Idem omnino habet Venerabilis Beda lib. 1. cap. 13. asserens, ad annum Theodosij Iunioris octauum: *Palladius ad Scotos in Christum* S. Prosper. Venerab. Beda lib. 1. cap. 13.

Episcopos ordinasse perhibet, & in Breuiario Episcoporum Meletij vltimo loco nominat Ioannem Memphiensem Episcopum: ἐν Μεμφὶ Ἰωάννης κελευσθεὶς παρὰ τοῦ βασιλέως εἶναι μετὰ τοῦ Ἀρχιεπισκόπου: *In Memphi Ioannes iussus ab Imperatore, vt esset vnà cum Archiepiscopo*. Meletius ergò Archiepiscopus erat, cui ex mandato Imperatoris Ioannes Memphi Episcopus adhærebat: idque est, quod expressè affirmat D. Epiphanius Hæresi 69., vbi de Ario narrat, quod Secundum Pentapolitanum Episcopum cum alijs nonnullis in partes suas pertraxerit, illaque omnia inscio Beato Alexandro gesta sint, *donec Meletius Thebaidis in Aegypto Archiepiscopus*, Et iterum: donec *Meletius Archiepiscopus in Aegypto, & Alexandro subiectus rem omnem ad Alexandri aures detulit*. Ita Epiphanius bis Meletium Ἀρχιεπίσκοπον nominat; affirmatque, Alexandro Alexandrino subiectum fuisse, vt nullum dubium esse possit, quin Patriarcha Alexandrinus ante tempus Nicæni Concilij Metropolitanum sub se habuerit, & rerum Ecclesiasticarum ignorantia factum sit, quod Auctor noster nullum in Thebaide Metropolitanum agnouerit.

Breuiarium Episcoporum à Meletio ordinatorũ

D. Epiphanius.

10. Hæc itaque cum clariora sint, quam vt in dubium reuocari possint, dicat nunc Auctor noster, parilitatem Patriarchatus Alexandrini, & Romani in eo sitam fuisse, quod neuter Metropolitanos sub se haberet. Cum enim ostensum sit, sub Patriarchatu Antiocheno & Alexandrino non solum plures

Pro-

Prouincias, ſed etiam Metropoles ante Concilij Niceni tempora fuiſſe; quando Canone ſexto Nicæno ſtatuitur, morem antiquum obtinere debere, vt Epiſcopus Alexandrinus totius Ægypti, Lybiæ, & Pentapolis habeat poteſtatem, quia Epiſcopo Romano parilis mos eſt, non ſolum Epiſcopi Alexandrini ſuper Epiſcopos, ſed etiam ſuper Metropolitas auctoritas confirmatur exemplo Patriarchæ Romani, quē conſequenter ſuper Metropolitanos poteſtatem habuiſſe oportet. Nec eſt, quod quiſquam obijciat, paraphraſim Ruffini de Suburbicarijs Regionibus, eaſque cum Salmaſio intra centum ab Vrbe lapides, aut cum nupero ſcriptore Gallo intra Vicariatus Vrbis limites concluſas fuiſſe affirmet. Hæc enim in ſecunda Antiquitatis illuſtratæ editione latius refellā, & erronea eſſe oſtendam. Quis interim non mirabitur inueniri homines, qui dum Antiochenum Epiſcopum ſupra 15. Orientis Prouincias, & Alexandrinum ſupra ſex Agyptiacas conſtitutos fuiſſe conſpiciunt, Romani Epiſcopi Patriarchalem poteſtatem intra centum ab Vrbe lapides aut paulo plures coarctatam fuiſſe dicunt? Si Epiſcopus Alexandrinus ſupra maiorem Romani Imperij Diœceſim ius Patriarchale obtinebat, quia Epiſcopo Romano parilis mos erat, ipſum certè Epiſcopum Romanum ſupra ſimilem ad minus Imperij Diœceſim ius Patriarchale obtinuiſſe dicendum erit. Atqui non vnā, ſed plures maiores Diœceſes Sylueſtrum Romanum Epiſcopum tenuiſſe, Concilium Arelatenſe pri-

Canon 6. Nicænus.

M mum

mum diſerte tradidit decem annis ante Nicænum: nec vllibi legitur, has Diœceſes in tam breui annorum ſpatio Syluestro ademptas fuiſſe, vt indubitatum eſſe debeat, ipſum omnino eas Concilij Niceni temporibus retinuiſſe, & conſequenter Patriarchalem Summorum Pontificum poteſtatem ſupra vrbiuicinas, & cæteras Occidentis Prouincias, intra quas Britannicæ numerari debent, conſtituendam eſſe.

CAPVT VI.

Quod Britannica Eccleſia à ſuis primordijs vſque ad tempus reſtaurata ſub Gregorio Magno per Auguſtinum Monachum Religionis, auctoritatem Metropolitana ſuperiorem agnouerit.

1. Britanniam nullam auctoritatem Metropolitana ſuperiorem agnouiſſe vſque ad Pontificatum Gregorij Magni, Auctor noſter conijcit ex quodam Britannorum Epiſcoporum & Monachorum Banchorenſium reſponſo ad Auguſtinum Gregorij Legatum, quod ipſe quidem ex Beda, Spelmannus verò ex antiquo Manuſcripto Anglico comprobare nituntur.

2. Manuſcriptum à Spelmanno editum & Auctore noſtro probatum, ſuppoſititium eſt ac recens inuentum. Anglicana Eccleſia à ſuis primordijs auctoritatem Metropolitana ſuperiorem in Romano Pontifice agnouit, vt oſtenditur ex Concilio Arelatenſi primo, cui tres Britanniarum Epiſcopi interfuerunt.

3. Idem probatur ex Canoni-

bus

bus & epistola Sardicensis Concilij, cui Britanniarum Episcopos adfuisse, D. Athanasius commemorat.

4. *Id quoque indicauit Pelagius natione Britannus, cum post haeresis suae in Synodo Orientali damnationem non solum causam suam ad Romani Episcopi tribunal mitti voluit, sed & librum fidei suae cum litteris ad Innocentium primum misit, vt ex Augustino & Orosio constat.*

5. *Clarius id agnouit Celestius Pelagij discipulus natione quoque Britannus, dum in Synodo Carthaginiensi ob haeresim damnatus,* à Synodi sententia ad Romani Episcopi examen credidit appellandum, *vt testatur Marius Mercator: illam enim appellationem prosequi debuit, vt asserit Paulinus D. Ambrosij Diaconus.*

6. *Confirmatur hoc ipsum ex Episcopis, qui à Sede Apostolica in Britanniam missi sunt, & à Britannis recepti, vt de Germano Antisiodorensi narrat S. Prosper, cuius testimonium hac in re contemni non debet.*

7. *Idem testantur Venerabilis Beda de Palladio Scotorum, & Mattheus VVest-Monasteriensis de S. Patricio Hibernorum Apostolis.*

8. *Probatur quoque manifestè ex ijs, quae Gregorius Magnus pro restauranda in Britannijs Religione Catholica egit. Misit namque Augustinum Sedis suae Legatum, vt in illa Insula Ecclesias institueret, Metropolitanos ordinaret, & Episcopos consecraret, qui omnes ipsi parere tenerentur.*

9. *Neque authoritati Pontificiae opposuerunt se Monachi Banchorenses aut Britanniae Episcopi tempore Augustini Legati. Monumentum enim de responso Abbatis Banchorensis à Spelmanno editũ est suppositium, & acta apud Bedam innuunt solummodo, de quibusdam ritibus, non verò Primatu Pontificis quaestionem fuisse.*

10. *Quod si ponatur, Monachos Banchorenses etiam primatui Papae contradixisse, nihil ex hac oppositione deduci potest, cum Augustinus eos falsum quid tueri miraculo ostenderit, & Diuinitùs de veritate constiterit.*

1. OPeri suo Auctor noster finem impositurus proponit ea, quae occasione legationis Augustini dicta putantur à Monachis Banchorensibus, & Episcopis Britannis, de quibus refert
,, sequentia: ,, Augustinus plena, vt putabat, in-
,, structus potestate rogauit Episcopos Britanni-
,, cos, vt sibi occurrerent in loco dicto Augustins,
,, ac.... illis autem eo venientibus proposuit, vt
,, amplecterentur vnitatem Ecclesiae Catholicae, &
,, postea operam conferrent ad conuersionem Gẽ-

pag. 357. Augustine being furnished vvith such full povvers, as he thought, desires a meeting vvith the British Bishops, at a place called Augustins ac, as Bede saith (in the confines of the Vvieeij and

,, tilium: multa enim, inquit Beda, ab illis fiebant, ,, repugnantia vnitati Ecclesiæ: Quibus verbis eos ,, schismatis accusabat. Conditiones oblatæ Communionis continebant, quod se subijcerent Ecclesiæ Romanæ, & auctoritatem Augustini agno- ,, scerent: sed nihil aliud ab eis obtineri potuit, quã ,, quod promitterent, se consilium super ea re inituros, & quod iterum cò frequentiores conuenirent. Conuenerunt itaque septem Episcopi ,, Britannorum, & multi alij viri Eruditi præcipuè ex Monasterio Banchorensi, cui Dinothus ,, tunc præerat, ibiq; tandem conclusum fuit, quod ,, Britanni nullatenus se subijcerent Ecclesiæ Romanæ, aut admitterent Augustinum in suum ,, Archiepiscopum.,, Huc vsque Auctor noster, obseruans istius Historiæ veritatem non solũ inniti testimonio Bedæ, sed etiã fide manuscripti per Spelmannum editi, in quo Dinothus Abbas Banchorensis fertur dixisse, se nescire, quis esset ille Papa, quem Patrem Patrum vocabant, cui Augustinus à Britannis Episcopis obedientiam præstari volebat. Quamuis autem hoc manuscriptum suppositionis à quibusdam argui fateatur, adducit tamen auctoritatem Spelmanni,,, qui, inquit, illud refert Britannicè, Anglicè, & Latinè, ac indicat, vnde illud habuit: accuratè illud transcripsit, additq; sibi visum fuisse antiquum manuscriptum, & descriptum ex antiquiori sine anno aut nomine Auctoris, & adhuc asseruari in Bibliotheca Cottoniana.

the vvest Saxõs) ... but at this place the British Bishops gaue Augustine a meeting: vvhere the first thing proposed by him vvas, that they vvould embrace the Vnity of the Catholick Church, and then ioin vvith them in preaching to the Gentiles, for saith he, they did many things repugnant to the Vnity of the Church; vvhich vvas in plain terms to charge them vvith Schism, and the terms of Communion offerd, did imply submission to the Church of Rome, and by consequence to his authority ouer them. But the vtmost that could be obtained from them, vvas onely that they vvould take farther aduice, and giue another meeting, vvith a greater number. And then vvere present seuen Bishops of the Britains, and many learned men, chiefly of the Monastery of Banchor, vvhere Dinoth vvas then Abbat: and the Result of this meeting vvas, that they vtterly refused submission to

,, niana. Hæc omnia sunt signa candoris, & fidelitatis, nec quidquam vlterius exigi potest: Spelmannus enim erat vir acrioris iudicij, & sagacitatis, quam vt ipsi facilè imponi posset nupera inuentione aut nouiter reperta schedula, vt Cressæius illud manuscriptum vocat.,,

the Church of Rome, or to Augustine as Archbishop ouer them.

Ex tomo 1. Conciliorum Spelmanni Auctor pag. 360. Sir H. Spelman vvho setsit dovvn at large in Vvelsh, English and Latin, tells from vvhom he had it, and exactly transcribed it, and that it appeared to him to haue been an old MS. taken out of an older, but vvithout date or Authour, and believes it to be still in the Cotton Library. Here is all the appearance of ingenuity and faithfulness that can be expected. and he vvas a person of too great iudgment and sagacity to be easily imposed upon by a modern inuention, or a nevv found schedule, as Mr. Cresay Phrases it.

2. Ex his Auctoris verbis facilè colligitur, illum, etsi præcipuum causæ suæ fundamentum in auctoritate Bedæ constituat, non tamen negare auctoritatem manuscripti à Spelmanno editi, quod tamquam recens confictum reijciendum videtur, vt facile monstratur. Neque enim verisimile est, Dinothum Abbatē Banchorensem illa dixisse de Romani Pontificis potestate, quæ eum dixisse manuscriptum illud perhibet: non enim noua res erat auctoritas Pontificia in Britanniæ Insulis, neque recens aliquod inuentum Patriarchalis Romani Episcopi in Ecclesias Britannicas auctoritas. Qui antiqua Anglicanæ Ecclesię monumenta peruoluit, hæc, vt puto, negari non posse perspiciet. Si namq; noua erant, & recens inuenta, cur igitur ineunte quarto sæculo ex Arelatensi Concilio Eborius Eboracensis, Restitutus Londinensis, Adelphius Coloniæ Londinensium Episcopi, alijque ex Britannię Clero eiusdem Concilij Arelatensis acta ad Syluestrum misissent, vt ipsius opera omnibus nota fierent? Cur illum maiores Diœceses tenere confessi essent? Cur Apostolos quotidiè in Cathedra Romana sedere scripsissent, si in Cathedra Romana

Patres Arelatenses epistola Synodica.

Apo-

Apostolicam auctoritatem non remansisse credidissent.

3. Constat profectò, quod ad medium eiusdē sæculi Britāniarum Episcopi, quos Sardicensi Concilio adfuisse testatur Athanasius, Eusebianis sese opposuerint, & D. Athanasium à Iulio Primo rectè absolutum fuisse propugnarint, appellationes ex omnibus Orbis Catholici Prouincijs ad Sedē Apostolicam fieri permiserint, & in Romano Pontifice *Petri Apostoli memoriam* honorandam esse professi sint. Ita enim Britanniarum Antistites, qui cum trecentis Episcopis ad Concilium Sardicense sese contulerant, Canone 3. statuerunt: *S. Petri Apostoli memoriam honoremus, vt scribatur ab his, qui causam examinarunt, Iulio Romano Episcopo: & si iudicauerit, renouandum esse iudicium, renouetur, & det Iudices: si autem probauerit talem causam esse, vt non refricentur ea, quæ acta sunt, quæ decreuerit, confirmata erunt.* Vndè ijdem Britanniarum Episcopi post constitutos Canones in epistola Synodica ex Cresconij collectione, & Hilarij fragmentis tom. 2. Conciliorum apud Labbeum edita scripserunt ad Iulium Primum, *optimum & valdè congruentissimum videri, si ad caput, id est, ad Petri Apostoli sedem de singulis quibusque Prouincijs Domini referant Sacerdotes.* Quid manifestius scribere potuerunt Britanni Episcopi, quam sedem Romanam esse Petri Cathedram & caput totius Ecclesiæ, ad quam ex toto Mundo referre debebant Episcopi, prout ex Sardi-

Canon. 3. Sardicensis.

Epistola Synodica Sardicensis

censi Synodo referebant damnationem Eusebianorum, de quibus scribunt ad eumdem Iulium Papam: *Omnes fratres, & Coepiscopos nostros litteris tuis admonere digneris, ne epistolas, id est, litteras Communicatorias eorum accipiant*. Qua in re Britanni Episcopi conuenerunt cum D. Ambrosio, & Episcopis Italis, qui in epistola Synodica Aquileiensis Concilij hoc eodem sæculo quarto scripserunt ad Gratianum Imperatorem: *totius Orbis Romani caput Romanam Ecclesiam esse. Vndè in omnes venerandæ Commonitionis iura dimanant.*

Concilium Aquileiense epist. ad Gratianum Imperatorem.

4. Præclarum est pro Romani Pontificis primatu testimonium, quod ab ipsis Romanæ fidei hostibus in Britannia natis desumitur. Pelagius Natione Britannus primum ab Orosio Hispano Presbytero coram Synodo Diospolitana de hæresi, deindè verò ab Occidentalibus coram Synodo Orientali sub Theodoto Antiocheno accusatus, non solum causam suam ad B. Innocentium Papam Romanum referri permisit, sed & ipse libellum Fidei suæ ad illum direxit. De prioris Synodi actis testatur Orosius in Apologia sua pro libertate arbitrij contra Pelagium, referens, Ioannem Episcopum Hierosolymitanum in Synodo Diospolitana tandem protulisse sententiam, vt ad *B. Innocentium Papam Romanum fratres & epistolæ mitterentur, Vniuersi, quod ille decerneret, sequuturi*. Secundæ Synodi mentionem facit D. Augustinus lib. 1. contra Iulianum, cap. 3. affirmans, ei præsedisse Theodotum

Orosius apologia pro libertate arbitrij.

tum

tum Antiochenum Episcopum, seque illius ac Prayli Hierosolymitani Episcopi hac de re ad Innocentium litteras penes se habuisse. Pelagium demum suæ fidei libellum Innocentio primo obtulisse, Augustinus lib. 2. de gratia Christi, cap. 21. his verbis commemorat: *de libro Fidei, quem Romam cum ipsis litteris misit ad eundem Innocentium*. An Pelagius ab Orientalibus Episcopis causam suam ad Romani Episcopi tribunal referri permisisset, ipseque misso fidei libello se coram Innocentio primo purgare curasset, si in Britannia, vbi enutritus erat, Innocentij auctoritas nihili fiebat? Nonne Sedis Apostolicæ sententiam declinasset, & Ecclesiæ Romanæ hac de re iudicium respuisset?

D. Augustinus lib. 2. de gratia Christi, cap. 21.

5. Tantum sanè abest, id facere potuisse, vt Cælestius Pelagij discipulus natione Scotus in altera Mundi parte de eadem Hæresi à Paulino D. Ambrosij Diacono accusatus, & à Carthaginensi in Africa concilio damnatus ad examen Romani Episcopi appellandum crediderit. Sic enim apud Marium Mercatorem legitur in Commonitorio: *à qua sententia ad Romani Episcopi examen credidit appellandum*. An forsan ad eum appellandum credidit, quem auctoritatem iudicandi non habere existimauit? Aliter sanè sentiebat Paulinus in libello Papæ Zosimo oblato, vbi de Cælestio ait: is, *qui ad Sedem Apostolicam prouocarat, defuit, quem vtique oportuerat merita suæ appellationis astruere*. Non potuit D. Ambrosij Diaconus clarius affirmare, quod

Marius Mercator in Commonitorio.

Paulinus in libello Zosimo Papæ oblato.

Sedes

Sedes Apoſtolica habuerit ius recipiendi appellationes, & Cæleſtius coram Romano Pontifice tamquam ſuperiore momenta ſuæ appellationis proſequi debuerit. Quamuis autem Cæleſtius neglecta prima appellatione in Aſiam & Thraciam profugerit, hinc tamen eiectus *ad Vrbem Romam* teſte Mario Mercatore, *ſub S. memoriæ Zoſimo Epiſcopo tota feſtinatione perrexit*, ibidemque eius tergiuerſationibus & erroribus detectis, à B. memoriæ Zoſimo Epiſcopo vna cum Pelagio damnatus fuit; qua de re epiſtola Zoſimi *per totum Orbem miſſa ſubſcriptionibus SS. Patrum roborata fuit*, vt in commonitorio ſupradicto continetur, cui concinit S. Proſper in Chronico aſſerens, Decreta contra Pelagium & Cæleſtium ex Africa ad Papam Zoſimum perlata fuiſſe: *quibus*, Inquit, *probatis per totum Mundum hæreſis Pelagiana damnata eſt*. Quantum itaque ex tota Cæleſtij & Pelagij cauſa colligitur, adeo certum erat temporibus Innocentij primi, eam ad Romani Pontificis tamquam ſuperioris tribunal ſpectaſſe; vt non ſolum Orientis & Africæ Concilia id vltro agnouerint, ſed peſtes orbis terrarum Pelagius & Cæleſtius id negare auſi non ſint; quin etiam, cum Zoſimi epiſtola, qua Pelagiana hæreſis damnata eſt, per vniuerſam ſub Cœlo Eccleſiam tranſmiſſa ad Britanniam etiam peruenerit, nullum omnino dubiũ eſſe poteſt, quin ſubſcriptionibus quoque Britannorum Patrum Hæreſis illa damnata ſit. Vndè notat Vener. Beda, Pelagianã Hæreſim ſerius

Marius Mercator in Commonit.

S. Proſper in Chronico.

N Bri-

Britanniam penetrasse, & primum per Agricolam Pelagiani Episcopi filium circa tempora Cælestini Papæ in Britannias illatam fuisse: ex eo namque constat, Britanniam toto Innocentij, Zosimique Pontificatu ab Hæresi illa immunem fuisse, quod non alia ratione contigisse existimandum est, quam quia Innocentij, & Zosimi Decreta receperat.

6. Vbi autem Agricola per Britannias Pelagianam hæresim seminauit, Sedes Apostolica auctoritate sua vsa Episcopos in Britanniam misit, quos Britannia recepit, & quorum ope non ab hæresi solum, vbi fides Christiana vigebat, sed ab infidelitate quoque, vbi fides extincta erat, conuersa fuit. Narrat quidem Venerabilis Beda lib. 1. Hist. Gentis Anglorum, cap. 17. Britannos ab Episcopis Gallis auxilium contra Pelagianam hæresim petijsse, & Lupum Tricassinum, ac Germanum Antisiodorensem Episcopum ex Galljis ad Britanniam venisse, vnde auctor noster pag. 89. Romanæ Ecclesiæ Authoritatem minimè agnitam fuisse deducit. Verum qui Bedam allegat, scriptorem, ex quo Beda historiam suam desumere potuit, audiat, sanctum scilicet Prosperum Regiensem Episcopum, qui ad Consulatū Florentini & Dionisij factum his verbis enarrat. *Agricola Pelagianus Seueriani Episcopi Pelagiani filius Ecclesias Britanniæ dogmatis sui insinuatione corrupit, sed ad actionem Palladij Diaconi Papa Cælestinus Germanum Antisiodorensem Episcopum vice sua mittit, & deturbatis Hæreticis Britannos ad Catholi-*

S. Prosper in Chronico.

tholicam fidem dirigit. Ita S. Prosper, qui per ætatem Palladium Cælestini Papæ Diaconum videre & alloqui potuit, & sub Leone Magno Cælestini successore Romæ fuit, eiusdemque Leonis Notarius extitit, adeoque authenticum Instrumentum, quo Germano Antisiodorensi Episcopo Sedis Apostolicæ vices per Britannias commissæ sunt, in Scrinijs Romanæ Ecclesiæ legere potuit, vt de huius Patris testimonio ne dubium quidem moueri possit. Neque refert, à Venerabili Beda memoriæ proditum esse, Germanum simul cum Lupo ad instantiam Britannorum in insulam venisse, & Concilij Verolamij iudicio ad disputandum cum Pelagianis selectos fuisse: Hæc enim, vt rectè obseruauit Annalium parens Baronius nihil obstant, quo minus ad instantiam Palladij Romani Diaconi Cælestinus Papa Germano Antisiodorensi Episcopo vices suas commiserit, ipseque Germanus auctoritate Apostolica fretus ad Britanniarum Ecclesias componendas perrexerit, & ex propria Diœcesi ad alias profectus fuerit, prout non semel, sed sæpius factum esse, ex istorum temporum monimentis edocemur.

7. Enimuerò refert S. Prosper biennio post missionem Germani Antisiodorensis: Consulibus Basso & Antiocho *ad Scotos in Christum credentes ordinatur à Papa Cælestino Palladius, & primus Episcopus mittitur*. Idem omnino habet Venerabilis Beda lib. 1. cap. 13. asserens, ad annum Theodosij Iunioris octauum: *Palladius ad Scotos in Christum* S. Prosper. Venerab. Beda lib. 1. cap. 13.

ſtum credentes à Pontifice Romanæ Eccleſiæ Cæleſtino primus mittitur Epiſcopus. Poſt Palladium ab eodem Cæleſtino S. Patricium miſſum fuiſſe, his quoque verbis commemorat Matthæus Vveſt-Monaſterienſis: *audita verò morte Palladij Patricius Theodoſio & Valentiniano imperantibus à Papa Cæleſtino ad partes occiduas miſſus eſt, vt vexillum S. Crucis Gentibus prædicaret. Cumque ad Britanniam perueniſſet, prædicauit ibi verbum Dei, & à Genti-incolis gratanter eſt ſuſceptus. Deindè ad Scotos ſe conferens prædicauit verbum Dei, quod non potuit alligari.* Addit quidem à Matthæo Archiepiſcopo ad Epiſcopalem gradum promotum fuiſſe, ſed & hoc mandante Cæleſtino fieri potuit, prout Auguſtinum iubente Gregorio ab Arelatenſi Epiſcopo ordinatum fuiſſe, infrà videbimus. Quin imò Marianus natione Scotus S. Patricium à Cæleſtino Archiepiſcopum Scotorum ordinatum fuiſſe, totamque Hiberniam ab eo ad Chriſtum conuerſam fuiſſe aſſerit, quod non ſolum à Sigeberto, alijſque exteris ſcriptoribus, ſed à pluribus quoque Auctoribus Anglis memoriæ proditum eſſe, annotauit Armachanus pag. 838. & ſequentibus; vbi eorum teſtimonia adducit, & inter alia Iocelini Monachi, qui ad finem duodecimi ſæculi Patricij vitam ab Henſchenio ad 17. Martij editam conſcripſit, ac Patricium non ſolum à Cæleſtino Papa Epiſcopum creatum fuiſſe commemorat, ſed etiam tēpore Hilari Romā miſſionis ſuæ rationem redditurum iterum aduenisse ſignificat,

Matthæus Vveſt Monaſterienſis.

cat,

cat, *illique*, Inquit, *vices ſuas committens, atque legatum ſuum conſtituens, quæcumque in Hibernia geſſerat, conſtituerat, diſpoſuerat, auctoritatis ſuæ munimine confirmauit*. Ex quibus omnibus manifeſtum euadit, Sedem Apoſtolicam auctoritate ſua vſam fuiſſe in gubernandis per Legatos ſuos Britanniarum Eccleſijs, & Britannias hanc auctoritatem agnouiſſe vſque ad Saxonum irruptionem, quæ poſt Cæleſtini tempora contigit.

Iocelinus in vita S. Patricij.

8. Poſt Saxonum in Britannias aduentum deſtructis Eccleſijs, euerſis altaribus, diſperſis Paſtoribus, ad reſtituendam Religionem Catholicam longa annorum ſerie ſub Gentilium Principum Tyrannide in præcipuis Prouincijs deletam Gregorius Primus Auguſtinum Monachum miſit, eumque vt Apoſtolum ſuum Britannia ſuſcepit ac venerata eſt. Teſtatur Venerabilis Beda lib. 1. cap. 28. Auguſtinum ab Archiepiſcopo Ciuitatis Arelatenſis Etherio *iuxta quod iuſſa S. Patris Gregorij acceperat*, Archiepiſcopum Gentis Anglorum ordinatum fuiſse. ordinatus itaque fuit iuxta Gregorij Magni iuſsa, quod Gregorius cum *primum in toto Orbe gereret Pontificatum, conuerſis iam dudum ad fidem veritatis eſſet prælatus Eccleſijs*, vt ex vita eiuſdem Gregorij lib. 2. cap. 2. per Bedam conſcripta refert Spelmannus tomo 1. Conciliorum Angliæ, ad annum Chriſti 597. Quin etiam ad ſæculi ſexti initium Auguſtinus primus Cantuarienſis Epiſcopus collapſam Anglicanæ Eccleſiæ diſciplinam reſtituere ſatagens

Venerab. Beda lib. 1. Hiſt. c. 28.

Auctor vitæ Gregorij Magni.

Grego-

Gregorium consuluit, ipseque Gregorius Auctoritate Apostolica responsa dedit, iuxta quæ Disciplina Anglicanæ Ecclesiæ restaurata fuit. Hac igitur auctoritate Gregorius ab Augustino duos Metropolitanos Londinensem & Eboracensem cum viginti quatuor Episcopis creari iussit, ipsosque Augustino, quamdiu Legati Pontificij munus obiret, subiectos esse voluit. Ex quibus omnibus manifestissime constat de suprema Sedis Apostolicæ auctoritate, quàm Romani Pontifices in Anglia exercuerunt, & non Britanni tantum, sed & Anglo saxones, vbi ad fidem conuersi sunt, venerabunde agnouerunt.

9. Atque satis hactenus de nonnullis veterum monimentis, ex quibus deducitur, quod Pontificiam auctoritatem primis sæculis Orbis Britannicus agnouerit. Restat solummodo, vt ad Manuscriptum à Spelmanno editum, & acta Synodi Britannicæ ex Venerabili Beda ab Auctore nostro adducta respŏdeamus. Ac primò quidem de monimento per Spelmannum edito, non adeò antiquum videtur, vt post schisma exarari non potuerit. ,, Quo ,, autem tempore, inquit Spelmannus, confectus ,, fuit codex ille, vel quo Auctore, nec mihi in eo- ,, dem constitit, nec alias certè explorare potui, sed ,, haberi censeo codicem in Cottiniana Bibliotheca. ,, Nihil certi de hoc Codicis auctore se habuisse significat Spelmannus, sed plurimum de eo sese dubitare, non obscurè innuit. Deinde cum fateatur,

Spelmannus to. 1. Conciliorum Angliæ.

ſe neſcire, quando nam conſcriptus ſit Codex, in quo monumentum habetur, facilè colligitur, illum antiquum non eſſe: quin imo ex idiomate ſatis ſuperque cognoſcitur, monimentũ recẽtiorem ætatem ſapere, & nequaquã ad tempora Auguſtini Monachi ac Gregorij Magni referri poſſe. Demum in illo affirmatur, Quod Britanni & Dinothus Abbas Auguſtino reſponderint, ſe eum nolle agnoſcere, quia *ſub gubernatione Epiſcopi Caerlegionis ſuper Oſca* conſtituti erant. Cum tamen conſtet, nullum tunc temporis Archiepiſcopum Caerlegionis ſuper Oſca flumine fuiſſe, & ante centum & plures annos Sedes iſtius Ciuitatis ad Meneuenſes traſlata fuerit. Ad acta autem, quæ ex Venerabili Beda ab Auctore noſtro adferuntur, iam alij ante me reſponderunt, nullam quæſtionem de primatu Romani Pontificis inter Auguſtinum & Britannos Epiſcopos fuiſſe, ſed ſolum de quibuſdam traditionibus Eccleſiæ, de quibus iſta ad eoſdem Epiſcopos dixiſſe fertur Auguſtinus: *In multis quidem noſtræ conſuetudini, imò Vniuerſalis Eccleſiæ contraria geritis, & tamen ſi in tribus his mihi obtemperare vultis, vt Paſcha ſuo tempore celebretis, vt miniſterium baptizandi, quo Deo renaſcimur, iuxta morem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ compleatis, vt Genti Anglorum vna nobiſcum prædicetis verbum Domini: cætera, quæ agitis, quamuis moribus noſtris contraria, æquanimiter cuncta tolerabimus. At illi nihil horum ſe facturos, neque illum pro Archiepiſcopo habituros eſſe reſpondebant.*

Monumentum Anglicanum ſuppoſititium.

Venerab. Beda. lib.2. Hiſt. cap.2.

bant. Hactenus Beda, ex cuius verbis manifestè, ni fallor, apparet, non de Romani Pontificis primatu, sed de Metropolitana Augustini dignitate quæstionem institutam fuisse, & Britones Episcopos solummodo contendisse, se Augustino tamquam Archiepiscopo subiectos esse non debere. Quamuis autem hanc ob rem nonnulla alia ad traditionem Ecclesiæ spectantia recipere noluerint, in ijs non Romanæ duintaxat, sed vniuersæ sub Cœlo Ecclesiæ repugnabant, vndè plurima vnitati Ecclesiæ contraria facere dicebantur, qua de re Venerabilis Beda libro superius citato de Britonibus ait: *Qui cum longa disputatione habita, neque precibus, neque hortamentis, neque increpationibus Augustini ac sociorum eius assensum præbere voluissent, sed suas potius traditiones vniuersis, quæ per Orbem sibi in Christo concordant, Ecclesijs præferrent, Sanctus Pater Augustinus hunc laboriosi ac longi certaminis finem fecit, vt diceret: obsecremus Deum, qui habitare facit vnanimes in domo Patris sui, vt ipse nobis insinuare cælestibus signis dignetur, quæ sequenda traditio, quibus sit vijs ad ingressum Regni illius properandum. Adducatur aliquis æger, & per cuius preces fuerit curatus, huius fides & operatio Deo deuota atque omnibus sequenda credatur. Quod cum aduersarij, inuiti licet, concederent, allatus est quidam de genere Anglorum oculorum luce priuatus, qui cum oblatus Britonum Sacerdotibus nil curationis vel sanationis horum ministerio perciperet, tandem Augustinus iusta necessitate compulsus flectit genua sua ad Patrem*

Domi

Domini nostri Iesu Christi, deprecans, vt visum cæco, quem amiserat, restitueret, & per illuminationem vnius hominis corporalem in plurimorum cordibus fidelium spiritualis gratiæ lucem accenderet. Nec mora, illuminatur cæcus, ac verus summæ lucis præco ab omnibus prædicatur Augustinus. Tum Britones confitentur quidem, intellexisse se, veram esse viam Iustitiæ, quam prædicaret Augustinus &c. Huc vsque Venerabilis Beda, qui nullibi meminit controuersiæ de suprema Romani Pontificis potestate, sed de traditionibus, circa Pascha nimirum, & Baptismatis ritus, vt supra annotauimus.

10. Quamuis autem hæc vera sint, & testimonio Venerabilis Bedę comprobentur: ponamus tamen, inter alia etiam controuersiam fuisse de primatu Romani Pontificis, quis non videt, acta apud Venerabilem Bedam Auctoris nostri placita euertere? Testantur acta, Britones controuersiam instituisse de traditionibus, quas vniuersis, quæ per Orbem sibi in Christo concordant, Ecclesijs præferebant: vt, si quæstio fuerit de primatu Romani Pontificis, manifestum sit, vniuersas per Orbem Ecclesias primatum Petri Successoris tunc agnouisse, prout Gregorius Magnus quoque testatur, dum lib. 4. epist. 32. ad Mauritium scripsit: *cunctis enim Euangelium scientibus liquet, quod voce Dominica Sancto, & omnium Apostolorum Petro Principi Apostolo totius Ecclesiæ cura commissa est.* Petri ergo Apostolorum Principis successorem, quem à primis Reli- Gregorius Magnus lib. 4. epist. 32.

O gionis

gionis Christianæ incunabulis fideles Episcoporum Episcopum nominabant, omnes tempore Gregorij Magni ex Euangelio nouerant, vt Britanni primatum eius contra totius Orbis Catholici iudicium impugnarint. Supposito itaque, quod Britanni inter cæteras traditiones etiam illam de primatu Romani Pontificis reiecerint, quid inde aliud sequeretur, quam quod obseruauit Annalium Parens Baronius, illos post Saxonum irruptionem à ritibus & Religionis Catholicæ dogmatibus defecisse, & tamquam schismaticos à centro Communionis Ecclesiasticæ separatos fuisse? Quid inde aliud habe(re)tur, quam Deum illo miraculo, quod intercessione Augustini fecit, falsitatem schismaticæ Britannorum Ecclesiæ ostendere voluisse? Nonne acta Synodi Britannicæ à Beda exhibita testantur, Augustinum tam manifesto miraculo earum rerum, quas Britannis proponebat, æquitatem demonstrasse, vt confessi sint, veram esse viam Iustitiæ, quam prædicaret Augustinus? Si hæc negari non possunt, prout negari non posse certum est, quid sibi volunt moderni Auctores Angli, dum Britannorum & Monachorum Banchorêsium responsa Catholicis obijciunt? Nonne animaduertent aliquando, se veritati Diuinitus comprobatæ suos dumtaxat errores, id est vana hominum figmenta obijcere, seque à reliqua Ecclesia duplicis culpæ reos haberi, & impugnatæ veritatis, & amissi pudoris? Tædet me in re tam clara, tam manifesta, tam perspicua tempus inani-

inaniter terere, & cum de Religione agitur, rurſum cogi veritatem nouis probationibus illuſtrare, quam omnes retrò ſcriptores Angli, omnes viri ſanctitate & eruditione in Britannia conſpicui, ipſi demum Epiſcopi in varijs Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ Concilijs agnouerunt, ac propugnarunt. Finem itaque huic Diſſertationi imponam, & coronidis loco ſequentem exhortationem ſubijciam.

EXHORTATIO
Ad Anglicanæ Ecclesiæ Ministros.

DVM Philo Hebræorum disertissimus coram Caio Imperatore & Senatu Romano Sermonem instituerét: *Quo vsque tandem*, inquit, *nos Senes erimus pueri, corpore quidem per ætatem cani, animo verò propter imperitiam infantes admodum, vt qui fortunam rem inconstantissimam putamus stabilem, instabilem verò naturam, cum sit firmissima.* Parcite obsecro præstantissimi Anglicanæ Ecclesiæ Ministri, si verbis Philonis, sed parum mutatis, vos alloquar. Quandiu vos corpore senes eritis animo pueri, & propter imperitiam Religionis infantes admodum, vt qui Catholicam Ecclesiam rem constantissimam putastis instabilem, Ecclesiam verò vestram à Catholica auulsam stabibilem futuram? Permutastis veram rerum æstimationem; parti tribuentes, quod toti conuenit, & Ecclesiam Catholicam deficere posse existimantes, quam æterna Veritas numquam defecturam promisit, atque Gentium Doctor, *Columnam & firmamentum veritatis* appellauit. Putastis, veram fidem in Ecclesia toto Orbe diffusa à Catholicis deperditam, à vobis verò in Anglia repertam esse, nec animaduertistis, vobis obij-

Philo in oratione pro Gente Hebræorum ad Caium Caligulam.

Matthæi 16. cap.

1. ad Timoth. 3.

obijci posse, quod ante hoc sæculum Rex vester Henricus eius nominis octauus Luthero obiecit, ,, quod ,, more Donatistarum Ecclesiam Catho- ,, licam redigatis ad paucos, de Christo susurran- ,, tes in angulo ,,. Ecclesiam non in aliquo Mundi angulo, sed vsque ad terminos Orbis Terræ extendi debere, Magni Augustini, & Sancti Optati Mileuitani sententia fuit, quorum vltimus libro 2. Parmenianum Donatistarum Principem arguit, ac si infregisset promissum Patris de finibus Orbis terræ filio tribuendis, & ab eo missa fuisset *quasi in carcerem latitudo Regnorum*. Tuetur proinde, Ecclesiam, vt Catholica sit, debere vbique extendi, & primam eius dotem, ex qua cognosci possit, vnitatem esse, quæ in Communione cum vna Petri Cathedra consistit. Id autem adeò manifestum esse credidit, vt nequidem à Parmeniano negari potuisse existimarit. *Negare non potes*, inquit loco supracitato, *Scire te, in Vrbe Roma Petro Primo Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum Caput Petrus, vnde & Cephas appellatus est: in qua vna Cathedra vnitas ab omnibus seruaretur, ne cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent: vt iam schismaticus & peccator esset, qui contra singularem Cathedram alteram collocaret. Ergo Cathedra vnica, quæ est prima de dotibus, sedit prior Petrus, cui successit Linus* (& enumerata longa Romanorum Pontificum serie vsque ad Siricium, sub quo scribebat) *Siricius*, inquit, *hodie, qui noster est Socius*,

Henricus VIII.

Optat. Mileuit. lib. 2. contra Parmenianum.

cum

cum quo nobis totus Orbis commercio formatarum in vna Communionis Societate concordat. Vera igitur fuit olim Ecclesia, quæ, cum toto terrarum Orbe diffusa esset, in vna Petri Cathedra vnitatem tenuit, & cum Romana Ecclesia, in signum vnius fidei & Religionis, commercio formatarum communicauit. Hæc optati Mileuitani, hæc aliorum Patrum sententia fuit, quam quia Donatistæ negare non audebant, Episcopum sibi in Vrbe Roma constituerant, quem D. Augustinus à Rupe vel Monte, in quo latitabat, Rupensem & Montensem dictum fuisse affirmat. Quod si Pontificia authoritas tam manifesta olim fuerit, vt à schismaticis Afris aut ignorari, aut negari nequiuerit, qua ratione factum est, vt à vobis in Anglia nunc minimè agnoscatur? An forsan sequentibus temporibus adeò obliterata fuit, vt à maioribus vestris, cum se à Sedis Apostolicæ Communione separarunt, dignosci non potuerit? *Atqui negari non potest*, inquiebat tum temporis Henricus Octauus, *quin omnis Ecclesia fidelium Sacrosanctam Sedem Romanam velut Matrem Primatemque recognoscat, ac veneretur*. Si id tempore Henrici Octaui omnis Ecclesia fidelium admisit, si vnam Petri Cathedram recognouit, qua ratione, quo iure, qua æquitate Henricus ipse, omnium anglorum Regum primus, contra singularem Cathedram alteram collocauit, & Primatus eius terminos coercendos esse censuit? Scio respondisse Auctorem illum vestrum, aduersus quem huc vsque egi

Henricus octauus libro de 7. Sacram. contra Lutherum.

quod

quod tempore Henrici Octaui respondit Lutherus; tantam ac tam latè fusam potestatem, neque Dei iussu, neque hominum voluntate consecutum fuisse Pontificem, sed sua sibi vi vendicasse. Sed quandoquidem Luthero in oppugnanda Pontificia potestate consentit, æquum est, vt audiat, quid ipsi in Luthero Henricus Octauus quondam responderit: *Dicat velim, quando in tantam ditionis irrupit possessionem? non potest obscurum initium esse tam immensæ potentiæ, præsertim si infra memoriam hominum nata sit. Quod si rem dixerit, vnam fortassis aut duas ætates superare, in memoriam nobis rem redigat ex historijs. Alioqui si tam vetusta sit, vt rei etiam tantæ obliterata sit origo: legibus omnibus cautum esse cognoscit, vt cuius Ius omnem hominum memoriam ità supergreditur, vt sciri non possit, cuius modi habuerit initium, censeatur habuisse legitimum, vetitumque esse constat omnium consensu Gentium, ne quæ diù manserunt immota, moueantur ..... Vehementer admiror, quod aut tam faciles, aut tam stupidos speret esse lectores, vt Sacerdotem credant inermem, solum, nullo septum satellitio, vel in spem venire vmquam potuisse, vt nullo Iure fultus, nullo fretus titulo, in tot vbique pares Episcopos, apud tam diuersas tam procul disiectas Gentes tantum obtineret Imperium. Ne dum vt credat quisquam, populos omnes, Vrbes, Regna, Prouincias, suarum rerum, Iuris, libertatis fuisse tam prodigos, vt externo Sacerdoti, cui nihil deberent, tantum in se potestatis darent, quantum ipse vix ausus esset optare.*

Mani-

Manifesta,ni fallor, sunt supra dicta, eoque præclariora, quo à Magnæ Britanniæ Rege scripta sunt, sub quo Anglicana vestra Ecclesia ob eam rationem, quam & me enarrare pudet, & vos audire non conuenit, à Romana defecit, & contra perpetuam Antiquorum traditionem, contra maiorum vestrorum sententiam, contra omnium Catholicorum consensum in schisma prorupit, de schismate in hæresim prolapsa fuit, de hæresi in profundum illorum errorum venit, qui recenti hominum memoria tenentur, quosque futuris temporibus boni omnes lugere numquam cessabunt. Horum cum vos ipsi testes sitis, non necesse est aut catalogum texere, aut testimonia adducere: hoc vnum quis operæ pretium facturum se existimare poterit, si vos ab hęresi & schismate tantorum malorum caussis ad sanæ mentis consilium prouocet, & dum tempus habetis, vt resipiscatis, admoneat. Post schismatis tenebras effulsit sub Maria Regina vestra lumen veritatis, quod Britannia priscæ fidei memor tunc venerabundè agnouit. Post noctem hæresium, in quam sub Elisabetha Regnum Britanniæ delapsum fuit, iterum sub Regimine Catholici Principis Fides Auroræ instar assurgere videtur, quo fit, vt sperare liceat, veritatis lucẽ, quam maiores vestri per tot sæcula agnouerunt, apud vos in apertum diem emersuram, locumque, ex quo centum ab hinc annis exulare coacta fuit, denuò recuperaturam. Id desiderant Ecclesię omnes, cum quibus

com-

commercio formatarum in vna Communionis societate olim conueniebatis. Id Hispania, Lusitania, Gallia, Germania, Bohemia, Polonia, Dalmatia, Italia, Sicilia, cæteræque Regiones Occidentales, in quibus antiqua Religio cum tanto splendore etiam num viget, continuis votis exoptant. Id Ecclesiæ, quæ in Græcia, Asia, Palestina, Mesopotamia, Persia, Armenia, & Oriente vniuerso reliquæ sunt, obuijs manibus recipient. Id vastissimæ noui Mundi Prouinciæ, quas tot populi, tot nationes, tot gentes inhabitant; id longè dissiti Sinarum incolæ, quorum plures superiori, & præsenti sæculo Fidem Christianam amplexi sunt; id innumeræ Insulæ in illo mari, quod Oceanum appellamus, vbique positæ lætis vocibus excipient; id Romæ cæterarum Ecclesiarum magistrę, quæ vos primum Deo, & Religioni peperit, gratissimum erit, nec quidquam iucundius illi accidere poterit, quam vt vos inter tot alios ab hæresi, & schismate hodiernis temporibus ad se reuertentes benignæ Matris instar suscipere, & in sinu suo fouere valeat. Sub Romana hac Sede cæteræ per Orbē Ecclesiæ, quas supra numerauimus, parent omnes, & simul sumptę Catholicam efficiunt, à qua nemo, qui Fidelis esse cupit, & salutem consequi studet, separatus esse potest. Vtinam igitur dum Ecclesia Catholica toto Orbe diffusa conuersionem vestram præstolatur, vos animarum vestrarum saluti consulatis; vos ad illius Ecclesiæ, extra quam nulla est salus, Commu-

Apost. ad Ephes. 4 nionem redeatis. *Vnus Dominus est*, inquit Paulus, *vna Fides*. Fides illa in Ecclesia reperitur, quæ vna est, sicut in Symbolo suo tradiderunt Apostoli. D. Ambrosius in cap. 4. Lucæ. Hæc Ecclesia Domus est, vt cum Ambrosio loquar, cuius vt tunc *Rector erat Damasus*, sic hodie est Innocentius. D. Hieronym. Epistola ad Damasum. *Extra hanc domum*, inquit Hieronymus, *quicumque agnum comederit, prophanus est*, & cum in Arca Noë constitutus non sit, *regnante diluuio peribit*. Neque hæc solius Hieronymi, sed & reliquorum Patrum sententia est, vti enim rectè obseruat Iulianus Basileensis Synodi Præses: Iulianus Cardinalis apud Pium 2. in Bulla ad Vniuersitatem Coloniensem. *Latinorum, & Græcorum Doctorum vna vox est: saluari non posse, qui Sancta Romanæ Ecclesiæ non tenet vnitatem.*

IN-

INDEX
RERVM MEMORABILIVM.

A

Ægypti Prouinciæ quænam, & cuinam parebant. pag.86. Ægyptij tertio sæculo supremam Romani Pontificis auctoritatem agnouerunt. 77.

Æthiopiæ ad Sedem Alexandrinam pertinet, quia Athanasius ad eam Episcopum misit, qui Æthiopicam Ecclesiam instituit. 30.

Agathonis epistolæ de ijs, qui ad Patriarchalem Romani Episcopi Synodum spectabant. 55.

Agricola Pelagianam hæresim primus in Britanniam intulit. 98.

Alexandrino Episcopo cura totius Ægypti commissa erat. 82. eidem munus computandi diem Paschatis à Niceno Concilio delatum fuit. 71. habuit sub se Metropolitanos Episcopos. 83.

Antiochenus Episcopus habuit quoque sub se Metropolitanos Episcopos ante Niceni Concilij tempore. 83.

Appellationes ad Romanum Pontificem tanquam ad Petri Successorem admittendæ. 80.

Aquileiensis Concilij testimonio constat, totius Orbis Romani caput esse Romanam Ecclesiam. 95.

Arelatensis Synodi Canon 1. ex varijs MSS. cod. relatus. 66.

Arelatense Concilium Syluestro Papæ defert iudicium de Paschatis festo. 59. eius locus de publicando Paschatis festo mutilus quomodo supplédus. 59.

S. Augustini Episcopi locus de Patriarchatu Romano in Occidentem vniuersam. 22.

Augustinus Monachus Gregorij Magni Legatus 101. auctoritate Sedis Apostolicæ Metropolitanos instituit. 102. miraculo veritatem Religionis Catholicæ comprobat. 105.

B

Britanniam à Petro ad fidem conuersam fuisse, quibus testimonijs probetur. 4. tertio primum sæculo ad fidem conuersam fuisse, Seuerus Sulpitius affirmat. 11. idem indicant Beda et Tertullianus. 12. Diutius quam cæteræ regiones Occidentales à Pelagiana Hæresi seruata fuit. 97. sub Gregorio M. fides & Disciplina in ea restauratæ fuerunt per Augustinum Monachum. 35.

Britannicæ Synodi acta de ijs, quæ Augustinus operatus est pro restauratione religionis in Anglia. 103.

Britanniæ Episcopi professi sunt in Arelatensi Concilio, maiores Diœceses ad Syluestrum Romanum Episcopum pertinere, & Apostolos in Cathedra Romana quotidie sedere. 93. in Sardicensi Concilio Petri memoriam honorandam esse professi sunt. 94. agnouerunt sese ad Patriarchalem Romani Episcopi Synodum spectare. 56. quandonam à veritate, & disciplina Ecclesiæ deuiare cœperunt 101. quam malam causam contra Augustinum Sedis Apostolicę Legatum tueri conati sunt. 106.

C

Cæsareensis Episcopus primæ Palestinæ Metropolitæ Patriarchæ Antiocheno subiectus 84.

Cœlestinus Papa Legatos suos in Britanniam misit. 99.

Clementis Romani testimonium de prędicatione Pauli Apostoli. 9.

Cœlestius ab Africanæ Synodi iudicio ad Romani Episcopi examen credidit appellandum. 98.

Concilij Paleftini fragmenta de Pa-
fcate. 72.
Concilium generale 8. Canone 17. Metropolitanos occidentis ad Romanum Patriarchatum fpectare docuit, 35.
Concilium Arelatenfe &c. vide Arelatenfe &c.
Cõfuetudines quæoã ab Apoftolis inductæ. & vndenam id cognofcatur. 54.
Confuetudine potiffimum regebatur Ecclefia ante Nicæni Concilij tempora. 54.
Cyrilli Alexandrini locus de computando Pafchatis die. 71.

D

Damafus Papa Vicarium in Illyrico inftituit, & quare. 49.
Diœcefes maiores, & minores quænam. 60. Diœcefis nomen notum fuit tempore Nicænæ Synodi. 62.

E

Ecclefia Catholica columna, & firmamentum veritatis, cuius fides numquam defecit. 108.
Eleotherus Papa accepit epiftolam à Lucio Rege 13. fub ipfo Brittania ad fidem conuerfa. 12.
Epiftolæ Romanorum Pontificum de Patriarchali Romana in Illyricum poteftate. 40.
Eufebij teftimonium de Prædicatione Euangelij per Apoftolos. 7.
Eufebiani fruftra conatur Iulium primum in partes trahere 7. fomniarunt Mortalium primi, quod Orientalis Concilij iudicium fit fupremum. 79.

F

Frumentius Æthiopiæ Epifcopus ab Athanafio miffus. 11.

G

Gallia quandonam ad fidẽ conuerfa. 10.
Gallicani fcriptores Catholici propugnant Romani Epifcopi Patriarchatum occidentalem contra Hæreticos. 21.
Germanus Antifiodorenfis Epifcopus Celeftini Papæ vices obiens in Britanniam venit. 98.
Gildæ fapientis teftimonium de prædicato tempore Tiberij Euangelio. 2. eiufdem teftimonium de fede Petri in Britannia. 3.
Græci Schifmatici agnofcunt Romanum Pontificem effe Occidentis Patriarcham. 22.

H

Henrici Octaui præcitus locus de primatu Pontificis Romani. 111. Primus Anglorum Regum in Schifma prolapfus fuit. 110.
Hieronymi teftimonium de prædicato per Paulum Euangelio ab Oceano vfque ad Oceanum. 8. eiufdem teftimonium de Antiocheni Patriarchæ Auctoritate fupra Cæfareenfem Metropolitam. 84.
Honorij Imperatoris epiftola ad Theodofium de feruandis Sedis Apoftolicæ priuilegijs. 58.

I

Iacobus Angliæ Rex quid fenferit de Patriarcharum inftitutione & Patriarchatu Romano. 20.
Illyricum à Paulo Apoftolo ad fidem conuerfum, non ideo tamen à Patriarchali Romana poteftate exemptum. 38. quin potius eidem fubfuiffe, ex pluribus antiquorum PP. epiftolis conftat. 39.
Irenei teftimonium de Romanæ Ecclefiæ potentiori principalitate. 14.
Iulius Primus arguit Eufebianos, quod declinent Sedis Apoftolicæ iudicium. 79.
Iuftinianus Imperator agnofcit Romani Epifcopi Patriarchatum occidentalem. 56.

Lau-

L

Launolus male impugnat authentiam epistolæ Clementis ad Romanos. 10. ficem prætulit ministris Anglicanæ Ecclesiæ ad Schisma pertinacius tuendum pref.

Lucius primus Anglorum Regum ad fidem conuersus. 12. mittit Legatos ad Eleutherium Papam. 13. an relicto Regno in Germaniam præfectus sit, & Bauariam ad fidem conuerterit. 31.

M

Manuscriptum Anglicum à Spelmanno editum nullius est fidei vel auctoritatis. 103.

Meletius Secundus post Alexandrinum in Ægypto Episcopus. 87.

Fuit Metropolitanus Alexandro Alexandrino subditus. 85.

Metropolitica auctoritas ab Apostolis instituta est. pref. 2. non est suprema in Ecclesia 77. Metropolitanus Cesareensis olim Antiocheno Patriarchæ subiectus. 84. Metropolitanorum institutio in Britannia tempore Gregorij. M. 34.

Missio necessaria est ijs, qui Ecclesias instituunt. 29.

N

Nicæni Concilij canon. 6. 81. non agit de suprema Metropolitanorum auctoritate. 86.

O

Optati Mileuitani locus de Romana Ecclesia. 109.

Ordinatio Metropolitanorum, quomodo ad Patriarchas pertinuit. 31.

P

Palladius Cælestini 1. Legatus ad Britanniam mittitur. 99.

Pallium à quibus & quando susceptum. 14.

Paschalia festi diem post Nicænum Concilium publicare perrexit Romanus Episcopus. 68. onus computandi Pascha à Nicæna Synodo delatum fuit Patriarchæ Alexandrino. 71.

Patriarchæ fuerunt in primitiua Ecclesia. 20. ex Apostolico instituto ortum habuerunt 55. iura Patriarchalia sunt tria. 18.

Patriarchalis potestas supra Illyricū. 50.

S. Patricius Legatus Celestini 1. 100.

Paulus Apostolus quibus in locis prædicauerit Euangelium 7. Romanam Ecclesiam primus non instituit. 25. in Britannia an prædicauerit. 1.

Pauli Zamoscenii causa rectissime ad tribunal Romani Pontificis transmissa. 78.

Pelagius Causam suam post Synodorum Orientalium iudicium ad Innocentium primum deferri consensit. 95. Vt Hæresis eius à Zosimo damnata fuit & per totam sub Cœlo Ecclesiam censura Zosimi obtinuit. 97.

Perigenis causa à quibus & quomodo iudicata. 47. & seq.

Perreuij causa à Perigenis diuersa. 48.

Petrus Apostolorum caput. 109. eius memoria honoranda 80 instituit tres Sedes Patriarchales. 30. ipse eiusque Successores instituerunt omnes occidentis Ecclesias. 24. Romanam Ecclesiam instituerat antequam Paulus Romam venit. 26. eius Sedes in Britannia. 1. & seq.

R

Romana Ecclesia habet potentiorem Principalitatem, ob quam ad illam necesse est omnem conuenire Ecclesiam. 14. cum ea totus Orbis commercio formatarum communicat. 110. in ea semper viguit Apostolicæ Sedis

prin-

principatus. 15. vt in ea Domus Augusta Principatum, ita Sacerdotium habuit suum principium. ibid.

Romanus Episcopus est Patriarcha Occidentis. 19. & seq. sub se habuit Metropolitanos. 89. est caput institutionum in occidente. 31. Britanniæ ad eius Patriarchatum pertinent. 38.

Romanus Pontifex habuit semper ius indicandi Paschatis diem. 71. eius auctoritas ex ijs, quæ de Paschate contigerunt tempore Victoris. 74. relatio ex omnibus Prouincijs facienda, est ad eum tanquam ad Caput Ecclesiæ. 94.

S

Sardicensis Concilij testimonia pro Romani Pontificis primatu. 94.

Seueri Sulpicij sententia de prædicata in Gallijs fide tertio sæculo. 11.

Stillingfleet Decani Londinensis errores varij notati. Prologom. 1. item. pag. 7. 9. 11. 14. 19. 20. 27. 41. 46. 48. 60. 61. 64. 68. 76. 77. 80. 81. 91.

T

Theodosius iunior circumuentus ab Episcopo Constantinopolitano Illyricum à Patriarchatu Romano auellit. 50. Legem ea de re latam reuocat. 53.

Thule Insula Islandiæ. 10.

V

Victor Papa indicauit ad se spectare Quæstionem de Paschatis festo. 72. Asiæ Ecclesias obedire detrectantes excõmunicationis censura terret. p. 73

F I N I S.